

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Librum IV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

QVAE FAMILIARES VOCANTVR

LIBRVM IV.

EPISTOLAE I.

ARGVMENTVM.

Satis patebit huius epistolae argumentum, si lector sciat scriptam esse, cum Caesar, pulso ex Italia Pompeio, bellum contra legatos eius in Hispaniam pararet, L. Lentulo, C. Marcello cons. ante mensem Maium, quod sequenti cognoscitur epistola. Respondet Sulpicio congressum petenti: in quo suam voluntatem cum eius voluntate consentire demonstrat, sed eam esse rationem temporum, ut remedium extinctae reipublicae nullum offerre possint. Negotiale argumentum. moralia quaedam interiecta, ut de Sulpicii laude, de utriusque in patriam studio, de dolore ex amissa reipublicae salute.

EXPLANATIO.

Caius Trebatius] Iurisconsultus, ad quem misit Topicorum libros. fuit in Gallia cum Caesare ante bellum civile, commendatus a Cicerone diligenter. lib. 7. epist. 5.

Familiaris meus] Et quidem cum eo saepe familiariter iocatur in epistolis lib. 7.

Ad urbem accessissem] Reuersus e Cilicia. nam, triumphi spe, urbem ingressus non est. dicebant veteres, *ad urbem accedere*, et *ad*

urbem esse, de iis, qui extra pomerium, triumphandi spe, morabantur.

Propius] Urbem.

De officio utriusque nostrum] Quid nos, exorto civili bello, deceat agere. Licebat autem per Caesarem, neutram partem sequi, et vel in vrbe, vel, ubi quisque vellet, longe ab armis tutam ac quietam vitam ducere. id Pompeius non concedebat, qui discedens ab vrbe dixerat, hostium se loco habiturum,

Q 5

turum, qui suis in praefidiis non fuisset. tueri autem rempublicam Pompeius videbatur, quia confules omnesque fere magistratus secum haberet: sed Caesaris castra firmiora: itaque bonos ac sapientes ciues, quo in numero et fuit, et habitus est Sulpicius, iure sollicitabat officii deliberatio.

Saluis rebus] Salua, incolumi, stante republica, eodem modo locutus est, cum de re priuata loqueretur, lib. 7. epist. 30.

Sic enim est dicendum] Nunc enim perditae res sunt, afflicta republica.

Occidenti] Eadem translatione, *reniuiscens reipublicae*, dixit epist. 4.

Absens] Cum esset in prouincia.

Defensorem pacis] Nam, cum M. Marcellus consul et prouincias Gallias ante legitimum tempus, et priuilegium Caesari, quod ei populus concesserat, ut absens consulatum petere posset, eripere conaretur; Sulpicius collega restitit; quod iniquum putaret ea rescindi, quae populus iusserat; eamque fore ciuilis belli causam intelligeret. Suetonius in Iulio c. 28. 29.

In consulatu tuo] Consule Sulpicio in prouinciam Cicero profectus est. lib. 3. epist. 3.

Post consulatum] Cum C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, consul eadem in Caesarem tentauit: ut scripsit Suetonius c. 29. is enim consulatum ex Marci fratris auctoritate gessit: ut legitur in epist. 9, cui successit L. Lentulus, et ipse Caesaris causae acerrimus aduersarius.

Veneram] Ex prouincia. venit autem pridie non. Ian. L. Lentulo,

C. Marcello cooff. abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paulo consul fuit.

Solus eram] Cum dixerit, suam et Sulpicii sententiam de republica eandem fuisse; solus non fuit. quare, *solus* accipio, id est, cum paucissimis.

Rudis] Quattuor causas colligit, cur pacem suadens nihil profecerit: primum, quod sero uenerit, ita iam aucta discordia, ut sedari vix posset: deinde, quod optimae sententiae socios non habuerit: tum, quia parum auctoritate ualuerit, quod in publica causa, cum sero uenisset, rudis esse uideretur: postremo, quod in homines pugnandi cupidos inciderit. significat autem maxime L. Lentulum consulem, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii focerum: quos etiam tacite carpit epist. 14. et lib. 6. epist. 21. lib. 9. epist. 6. lib. 16. epist. 12. et lib. 8. ad Attic. epist. 11.

Nihil] Cum iam occiderit res publica, quod proxime dixit.

Quam honestissime] Ut in his miseriis quam licet honeste vitam traducamus.

Nec enim] Causam avertit, eum nemo sit, quicum sibi potius, quam cum Sulpicio, communicandum putet. Nosti, inquit, egregie, quid clarissimi viri fecerint, quid doctissimi faciendum praeceperint. itaque, quid nobis quoque faciendum sit, optime iudicabis.

Clarissimorum] Clarissimos et doctissimos, quia tum a rebus, tum a libris petitur prudentia.

Quos semper coluisti] Quorum libros diligentissime legisti. sic enim interpretor. aut, si quis hoc ad homines ipsos potius, quibus ob doctrinae

Crinae praestantiam Sulpicius honorem semper habuerit, referre malit; valde non contenderim: modo illud, *praecepta*, sic accipiat, non quae e sermonibus viuentium, sed quae ex doctissimorum libris accepta sint. <

Te frustra in senatum] Aperire incipit sententiam suam, quam paullo post clarius etiam ostendit, cum ait, urbem esse sine legibus, iudiciis, iure, fide; vt in ea bonis, ac sapientibus ciuibus, quales Cicero et Sulpicius habiti sunt, vix iam honestum esse domicilium videretur.

Conueniunt senatorum] Nam senatus appellari non debet, in quo nec senatores multi, nec eorum libera, metuque soluta voluntas est. non enim decerni quidquam potest, quod ei displiceat, cuius arma dominantur. erat vrbs hoc tempore, ac tota iam Italia in Caesaris potestate, Pompeio in Graeciam, cum vtroque consule, ac maiore parte magistratum profecto.

Eius] Caesaris.

Vt te imitaretur] Vt irem in senatum. id enim Caesar cupiebat: ne, absente Pompeio, simul abesse respublica videretur. locutus autem erat Sulpicius in senatu de pace, et de Hispaniis: quod proxime subiungitur: contra quam Caesar volebat. itaque hoc, *vt te imitaretur*, interpretor, vt iret quidem Cicero in senatum, non tamen vt eadem, quae Sulpicius, de pace, et de Hispaniis diceret. Quae cum Cicero se dicturum ostendisset, ego vero, inquit Caesar, *ista dici nolo*. lib. 9. ad Attic. epist. 18. Iussit autem Sulpicius hoc tempore in senatum, ostendit lib. 10. ad Attic.

epist. 3. in qua sunt haec: *Facile patior, quod scribit, secum Tullum et Seruum questos esse, quia non idem sibi, quod mihi, remisisset. homines ridiculos! qui cum filios misissent ad Cn. Pompeium circumfidendum, ipsi in senatum venire dubitarent.*

Me cum rogaret] Formiis. quod ex lib. 9. ad Attic. epist. 18. et 19. intelligitur.

De pace] Vt ageretur de concordia Caesaris, et Pompeii.

De Hispaniis] Senatui non placere, Caesarem in Hispanias contra Pompeii legatos proficisci.

Dicta sunt] In senatu, antequam Caesar iret in Hispanias.

Ostendi me esse dicturum] Lib. 10. ad Attic. epist. 1. *Quid essent de pace dicturus, dixi; ipse valde repudiavit.*

Res vides quo modo se habeant ERN. *Rem vides, quo modo se habeat*] Perditum reipublicae statum demonstrat, vt confirmet quod dixit, nihil iam esse, licet colloquantur, in quo reipublicae opitulari possint. Notandus Latini sermonis vsus: *rem vides, quo modo se habeat*: pro, vides, quo modo se res habeat: vt apud Coelium lib. 8. epist. 10. *Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit.* et lib. 14. ad Attic. epist. 21. *Nosti virum, quam rectus.* Sic Terentius in Adelph. Act. 5. sc. 4. v. 20.

Illum vt viuat, optant. — et Plautus in Aul. Act. 2. sc. 2. v. 40.

— *Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio.*
et Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 39. *Rem frumentariam, vt satis*

satis commode supportari posset, timere dicebant.

Orbem terrarum] Orbem terrarum lib. 5. epist. 7. *Orbem simpliciter*, lib. 3. de republ. apud Lactantium Epit. c. 1. quod poetis vsitatus.

Imperiis distributis] Cum Italiam et Gallias Caesar; Hispanias, Graeciam, et reliquas populi Romani provincias Pompeius teneat.

Ardere bello] Aptā translatio: quia nec incendio quidquam citius consumit, nec igni quidquam bello similis: aequae enim prosternit, ac delet, quaecumque inuasit. lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Cum arderet Syria bello.* In Oratore c. 10. *Ex omnibus terris, una Gallia communi non ardet incendio.*

Sine legibus] Quarum vocem quis in armorum strepitu exaudiat?

Iudiciis] Bello intermissis, fuga magistratuum, nec vero iudiciis locus esse potest, cum sublatae leges sint.

Iure] Non modo iudicia, sed omnino ius vniuersum iacet. legum enim et iudiciorum exitium sequitur iuris eversio.

Fide] Pertinet, opinor, hoc ad creditas pecunias: quarum in solutione, nisi iudicia fiant, debitores fidem non praestant. Pro lege Manilia c. 7. *Scimus, inquit, Romae, solutione impedita, fidem concidisse.* et Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 1. *Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur.*

Relictam direptioni et incendiis] Pompeii, et consulum fuga. nam cum Caesar primum Pisaurum, Fanum, Anconam, deinde Iguuium, Auximum occupasset, tantus repente, his verbis auditis, in vrbe ter-

ror inuasit, ut, cum Lentulus consul ad aperiendum aerarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex senatus consulto proferendam, protinus, aperto sanctiore aerario, profugeret. Caesar enim aduentare, iam iamque et adesse eius equites falso nunciabantur. Hunc Marcellus collega, et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex vrbe profectus, iter ad legiones habebat, etc. Hoc ipse Caesar scripsit lib. 1. de bell. ciu. c. 14. Dio lib. 41. et Cicero ipse ad Tironem, lib. 16. epist. 12. *Patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus.* et lib. 8. ad Attic. epist. 2. *Non expulsi, sed euocati e patria; quam non seruandam ad reditum nostrum, sed diripiendam et inflammandam reliquimus.*

Audeam] Eo redacta res est, ut nec optare quidquam audeam: cum tamen optare multa, vel sine spe, soleamus. vnde illud lib. 1. de Orat. c. 21. *Hoc loco Sulpicius, insperanti mihi, inquit, et Corrae, sed valde optanti vtrique nostrum, cecidit, ut in istum sermonem delaberemini.*

Sin] Saepius, antecedente si vsurpatur: interdum tamen simpliciter, ut lib. 3. de Orat. c. 33. *Plerique ad honores adipiscendos, et ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit vnus e multis; effert se.*

Homini prudentissimo] Eidem in epistola sequenti summam tribuit sapientiam, in tertia prope singularem.

Colloqui] De officio vtriusque nostrum, quod Trebatius scripserat.

Longius]

Longius] Formiis enim, aut prope, fuit initio belli civilis. lib. 6. epist. 11. *Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur. Nos Capuam sumimus.* Et epist. 12. *Ego adhuc orae maritimae praesent a Formiis.* Et lib. 7. ad Attic. epist. 11.

Inuitus] Quia relicta sit directioni et incendiis, et quia non leges in ea, non iudicia, non ius, non fides vlla sit. lib. 7. epist. 30.

Quin hinc ipse euolare cupio, et aliquo pervenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.

Si quid] Si quam ob rem.

Exire ex urbe] Vt colloquamur.

Quantum mihi fortasse arrego]

Fortasse enim mihi assentor, cum mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. *Arrogare* dicimur nobis ea, quae nostra non sunt.

Statuerimus] Vt nobismet ipsis consulamus: quoniam nihil iam videmur opitulari posse reipublicae.

EPISTOLAE II.

ARGUMENTUM.

Relicta urbe a Pompeio, occupata iam a Caesare Italia, quaesierat a Cicerone per litteras Sulpicius, quid agendum censeret in tantarum omnium perturbatione. Modeste Cicero respondet cum Sulpicii laude; explicatque sententiam suam, hoc modo: si recta quaerantur, satis patere, quid agendum sit; si utilia, non item. nam, cum rectum videretur, pro communi libertate contra Caesarem arma capere; tamen id quam expediret, obscurum erat: cum Caesaris causa firmior, Pompeii esset honestior. Concludit, esse longius ab urbe discedendum, in qua manere vel turpe sit, si probentur ea, quae sunt; vel, si non probentur, periculosum: ac sibi caprum iam consilium esse de itione ad Pompeium ostendit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Philotimum] Libertum Terentiae Ciceronis. lib. 8. epist. 3. lib. 14. epist. 18. et lib. 6. ad Attic. epist. 3.

Postumia] Vxor Sulpicii, de qua Suetonius in Iulio c. 50. sic: *Pro-num, et sumptuosum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasque et illustres feminas corrupisse: in quibus Postumiam, Servii Sulpicii, Lolliam, A. Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii Muciam.* Hoc nomen cum originem inde duxerit, quod, qui post humatum parentem nascerentur, *Postumii* dicebantur, tamen in

antiquis nummis, et lapidibus Capitolinis sine aspirandi nota scriptum est.

Servius] Sulpicii filius, patris praenomine; quo appellabantur filii primo loco nati. Hic Sulpicii filius ad obsidendum Brundisii Cn. Pompeium iuerat. lib. 9. ad Attic. epist. ult. et lib. 10. ad eundem epist. 3. et 12.

In Cumanum] Quo posset cum Cicerone colloqui. lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Servitum*, inquit, *expecto ad Nonas: et adigit ita Postumia, et Servius filius.*

Meum

Meum consilium] Quid tibi agendum sit.

Auctoritate] Ob honores magna cum laude administratos. gesserat autem Sulpicius biennio antecum M. Marcello consulatum.

Quid rectissimum sit] Eadem sententia lib. 5. epist. 19. iisdem fere verbis: *Quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est.*

Non potest esse dubium] Lib. 5. epist. 19. dixit, *dubitare non possumus.* ostendit eundem ad Pompeium, etiam si non expedire videatur.

Meam causam] Vt idem ab utroque capi consilium oporteat. nam *coniuncta mea causa cum tua est*, valet, eodem in statu sumus, eadem ratio est, pertinet idem ad utrumque nostrum. Contrarium est illud lib. 1. epist. 9. *Mea ratio fuit alia.*

Nihil esset utilius] Vt quidem ipse Cicero putabat, cui, quod honestum, id vnum utile videbatur. Caesar autem nihil melius, quam regnare existimabat: itaque versus illos Euripidis de Phoenissis in ore habere solitus est, v. 527.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν καὶ τυραννίδος
πέρη

Κάλλιστον ἀδικεῖν τ' ἄλλα δ' εὖσε-
βεῖν κραίων.

Quos Cicero ita vertit lib. 3. de Offic. c. 21.

Nam si violandum est ius, regnandi gratia

Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Defendenda pace] Genus loquendi, pro, si pacem defendere-mus: vt in prooemio lib. 1. de Offic. *Orationem Latinam profe-*

cto legendis nostris efficies plenior-
rem: pro, si nostra leges.

Nos fefellerit] Non Caesar, sed id quod arbitramur. dicimus enim simpliciter interdum, *non me fal-*
lit. Fefellit autem in eo Cicero-nem opinio, quod Caesar, cum ei nihil esset vtilius concordia rem tamen ad arma deducere maluerat.

Geruntur] A Caesare in Hispania contra Pompeii legatos. pulso enim Italia Pompeio, ad urbem Caesar excurrit, inde in Hispaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus est Cicero, bellum in Hispania gerebatur. id cognoscitur ex lib. 10. ad Attic. epist. 12. 13.

Gesta sunt] Cum Pompeius eie-ctus Italia sit, Caesar vrbe et Italia sit potitus.

Qui cursus rerum] Vt enim adhuc, ita deinceps armis agentur omnia.

Qui exitus] Perspicias exitum fore vel Caesaris, vel Pompeii tyrannidem. lib. 8. ad Attic. epist. 11. *Vterque regnare vult.* et alibi saepe.

Ergo] Cum videas, quem in locum res deducta sit; sequitur, vt, in vrbe si manserimus, vel probare ea, quae fient, quod turpe est, vel saltem interesse cogamur, etiam si non probemus: quod periculosum erit.

Quorum altera] Sic in decem antiquis libris: in duobus, *quorum.* antiquitatem magis redolet, *quorum:* et vereor, ne quis ob verbum, *altera,* scribendum putauerit, *quarum.*

Restat] Cum videas, probare turpe esse; interesse, etiam si non probes, periculosum; restat, vt discedendum putemus.

Quod consilium] De discessu dubitandum non est: restat deli-beratio,

beratio, quid consilii discedentes capiamus, maxime quidem, quo nos conferre debeamus.

Numquam] Quia salutis publicae spes nulla superest.

Non sit coniunctum] Satis plane significat, si velit Sulpicius ad Pompeium transire, colloquendum esse: alioqui non oportere: sibi enim captum iam esse consilium. id cognoscitur ex lib. 10. ad Attic. epist. 12. *Servium*, inquit, *expecto, nec ab eo quidquam spero*. Cum

in eadem paullo ante scripserat, se de Hispania cogitare.

Expectabo] Et hoc verbo captum sibi de discessu consilium ostendit.

Quid tuo commodo fiat] De hoc loquendi genere dictum est lib. 1. epist. 1.

Servio et Postumiae] Lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Servium expecto ad Nonas: et adigit ita Postumia, et Servius filius*.

EPISTOLAE III.

ARGUMENTUM.

Sulpicius, Achaeiae, post victum in Pharsalia Pompeium, a Caesare praepositum, consolatur in dolore, quem ex reipublicae calamitate capiebat. Quid autem ad consolandum valet? primum illud, cum offendimus, communem fortunam esse, nec decere eum, qui praecipuis non affligatur incommodis, praecipuo dolore angī. Alterum est, cum in alienis malis nostra bona recordamur; id est, cum ea, quae vitandi communis exitii gratia recte ac sapienter acta, dicta, cogitata sint a nobis, animo ac mente contemplamur. nam ad levandas miseras magnam habet vim bene actae vitae conscientia. Tertio loco, si minuit sollicitudinem ipsa per se conscientia; quanto magis, cum ad eam accedit hominum opinio, qui nihil a nobis non sancto, nihil imprudenter, aut indecore actum existiment? atque haec ratio, a generali quodam iudicio ducta, tum est firmior, si ad clarorum virorum exempla confugimus: ideo Caesarem quique ipsam idem, quod ceteros omnes, de Sulpicio iudicare dixit. Quid, cum illud adiungimus, in eo ipso quod, quasi malum sit, graviter dolemus, aliquid inesse, cur dolendam omnino non sit? facit hoc Cicero, cum ait: quod autem a tuis abes. Lenitur etiam studio litterarum, praesertim philosophiae, doloris acerbitas. quod in Sulpicii cura Cicero non neglexit. quamquam hanc partem considerate attingit: nec monendum aperte talem virum putat, quod esset arrogantiae: sed cum ait: mihi ita persuasi, te quoque in iisdem verari rebus: plane indicat, quid cum facere, tam adversis temporibus, oporteat. Nec vero levis est ex eorum, quos diligimus, probitate ac virtute consolatio. ergo hic laudatur Servius adolescens, ut afflictum patris animum grata filii mentio recrearet. Haec, et similia in ceteris epistolis observanda: quae si colligantur, adhibito ordine, sine quo praeciptorum copia propemodum inanis est; artem inuentionis, alioqui difficillimam, in promptu habebimus. Scripta est post bellum Africanum

apparet

apparet enim Caesarem in vrbe commorari, Pompeianarum partium metu liberatum. quod certe non ante bellum in Africa gestum consecutus est. perpetuo enim victoriae cursu Pompeium, Aegyptios, Pharnacem superauit: inde Romam profectus, paullo post in Africam contra Scipionem et M. Catonem contendit: quibus deuictis, ad urbem rediit, cum tertium consul esset; ibique tam diu permansit, donec in Hispaniam, ubi magnas copias a Pompeii liberis contractas esse audiebat, eundem necessurio iudicauit. Videtur autem Sulpicius in Achaia permansisse usque ad exitum Hispaniensis belli. quod ex eo suspicor, quia, quo tempore ad Ciceronem litteras consolatorias misit, quae infra leguntur, eodem Caesar ex Hispania lenire Ciceronis dolorem, ex interitu filiae susceptum, per litteras conatus est. lib. 13. ad Attic. epist. 20.

EXPLANATIO.

Sollicitum] Ob rempublicam seruitute oppressam. iam enim Caesar, iterum deuictis Pompeii partibus, vnus omnia tenebat.

Praecipuo] Cum enim commune sit exitium, cur tu praecipue doleas? Iterum Plancium admonuit epist. vlt. *Non debes aut propriam fortunam, et praecipuam postulare, aut communem recusare.*

Quodam] Ita loquimur, cum singulare quiddam notamus, vt lib. 2. epist. 4. *Est enim tibi grauis aduersaria constituta et parata, incredibilis quaedam expectatio.* Et in orat. de prouinciis c. 18. *Quod magni cuiusdam hominis, et persapientis videtur.* Et lib. 2. de Orat. c. 74. *Craffi responsum excellentis cuiusdam, est ingenii ac singularis.*

Minime miror] Cum plane perierit respublica.

Meum] Dolorem.

Quodam modo] Si dixisset, *meum agnosco*, suum quoque praecipuum esse in communibus miseriis dolorem significasset. ita nullum sibi locum ad leuandam Sulpicii sollicitudinem relinqueret, dixit igitur, *quodam modo*, vt indicet, sibi quo-

que acerbissimam fuisse perniciem reipublicae, nec tamen in communibus miseriis praecipuo quodam dolore angere.

Agnosco] Me quoque dolere confiteor. epist. seq. *Illam partem excusationis nec agnosco, nec probo.*

Prope singulari] Cur addit, *prope*? ne viro graui, verborum quasi lenocinia respuenti, nimium assentari videatur. Sic lib. 4. Acad. c. 43. *Omitto per ipsum Aristotelem, meo iudicio in philosophia prope singularem.* Valet autem, *singularis*, interdum minus, quam incredibilis, interdum plus: minus, vt lib. 13. epist. 54. *In longa apparitione singularem et prope incredibilem patris Marcelli fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi.* Plus, vt lib. 1. de Orat. c. 38. *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et diuina vis ingenii videtur.*

Tuis bonis] Tua virtute et memoria recte factorum.

Alienis malis] Quibus afflicta respublica concidit. Notat perditos hominum mores, in primisque perniciosam publicae libertati ambitionem Caesaris et Pompeii.

Laborare]

Laborare] Malis laborare, apte coniunguntur.

Me quidem] Consolamur et ratione, et exemplo. ratione usus est in proxima superiore sententia: exemplum hic adfert de se ipso.

Nemini concedo, qui maiorem] Nemo est, cui molestiae plus attulerit interitus reipublicae. simile illud lib. 10. epist. 3. *Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo reipublicae statu acquires.* et eodem libro, epist. 29. *Nec his concedo, ut te saluum malint, quam ego.*

Pernicie et peste] Augent superlata nomina: quod etiam rhetores docent. maior autem est in peste, quam in perniciē, significatio.

Consiliorum] Quia de republica semper optime sensi. quod tibi quoque, optimo ac sapientissimo viro, solatio esse debet.

Multo enim ante] Quattuordecim annis ante, cum esset consul. Id clarissime ostendit lib. 10. ad Attic. epist. 4. *Praeclara, inquit, conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe numquam, nisi diuine, cogitasse: eaque ipsa tempestate euerfam esse rempublicam, quam ego XIV. annis ante prospexerim.*

Tempestatem] Procellam, quae rempublicam afflixit.

Abfui] Cum esset in Cilicia proconsul: quo iuit Sulpicio consule, ut patet ex lib. 3. epist. 3. et lib. 5. ad Attic.

Magnam partem] Menses circiter octo. nam videtur ineunte

Maio, aut extremo Aprili mense Roma discessisse. lib. 5. ad Attic. epist. 2.

Monuisti senatum] Consolationem affert anteaetiae vitae commemoratio. ideo narrationem hanc induxit, ut quemadmodum se levare dixit gravitate doloris ob conscientiam consiliorum suorum, iidem Sulpicius e suis in rempublicam officiis consolationem capiat.

Omnibus bellis civilibus] Tribus, quae commemorat his verbis Phil. 8. c. 2. *Ceteris bellis, maximeque civilibus, contentionem, reipublicae causa faciebat.* Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per vim latas Sulla dicebat: *Cinna cum Octavio de novorum civium suffragiis: rursus cum Mario et Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, et ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem.*

Superiores] Sic locutus lib. 5. in Ver. c. 44. *Id agit, ut semper superius suum facinus novo scelere vincat.* Et lib. 4. Acad. c. 6. *Arcefilas Zenoni, ut putatur obire. Etans, nihil novi reperienti, sed emendanti superiores.*

Consilium tuum] Ne Caesari ante concessum lege Trebonia tempus succederetur, et ut absenti consulatum petere liceret. in quo dissentiebat a M. Marcello collega. epitome Liviana 108. *Contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Caesar ad petitionem consulatus veniret, cum is lege lata in id tempus consulatus provincias obtinere deberet.* Suetonius in Caesare c. 28. Plutarchus, Dio, alii.

R

Occidisse]

Occidisse] Consulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii focerum; praetorium, M. Catonem; alios praeterea, qui bellum paci, odio Caesaris, praetulerant.

In tantis tenebris] Non dicit, conscientiam optimorum consiliorum nihil prodesse, sed pro malis reipublicae parum, nam, esse aliquem conscientiae fructum, paullo ante ostendit in se ipso.

Quasi parietinis] Libri veteres quinque, *perpetuis*: duo, *perditi*: *vis*: vnus *diserte*, *parricidiis*: Mediceus, *parietinis*: ex quo *parietinis* legendum, alii ante nos recte censuerunt. Sunt autem *parietinae*, parietum ruinae. Cicero ad rempublicam transtulit, et, *quasi*, praeposuit, veritus, ne paullo durior translatio videretur. quod praecipit Crassus lib. 3. de Orat. c. 41. *Si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo.*

Vix consolabilis] Recte addidit, *vix*: vt consolabilem tamen esse ostendat: quod ei propositum est: cum hanc vnam ob causam ad Sulpicium scribat, vt eum a moerore abducatur.

Ipsa] Cuius in potestate sunt omnia.

Lumen] Tribus verbis metaphoram absoluit, *lumen*, *extinctis*, *elucere*. et hac fortasse translatione vsus est, cum illud proxime dictum, *in tantis tenebris*, recorderetur.

Extinctis ceteris] Luminibus reipublicae. Phil. 5. c. 14. *Pompeio patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, extincto.*

Sanctitatem] Sanctitatem definiit lib. 1. de Nat. deor. c. 41. *scientiam colendorum deorum*. hic accipitur pro summa probitate, vt in Phil. 3. c. 6. *Quod in iuuentute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis?*

Prudentiam] Non enim satis est optima velle, quod sanctitas est; sed optima etiam videre, in praestanti ciue requiritur.

Haec] Primum optimorum consiliorum recordatio, deinde iudicium Caesaris omniumque ciuium.

Magna esse debent] Dixit iam, debere eum suis bonis delectari potius, quam alienis malis laborare.

A tuis] Vxore, et filio.

A multis ac magnis molestiis] Saepe Cicero consolatur abientes miseria ciuitatis, quam afflictam et deformatam ciuis bonus libenter nemo videt. vnde illud ad Sextium lib. 5. epist. 17. *Illud vtinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res vlla delectet.* Et ad Torquatum lib. 6. epist. 1. *Oculi augent dolorem.*

Vereretur] Vereretur, inquit, quia graues atque acerbae audienti etiam essent, non modo videnti.

Meliore] Non igitur dolendum est, quod a tuis ablis.

Certior fieres] Quia scire haec ipse per te non posses. significat autem duas maxime res, de quibus certiozem Sulpicium fecit, iudicium Caesaris omniumque ciuium, et miserrimum statum ciuitatis.

Reliqua] Non dubito, quin studia philosophiae significet: cum inferat, quae ego experiens quotidie, sic probo, vt ea mihi salutem asferre

ferre videantur. Euerſa enim re-
publica philoſophiae ſtudia longo
intervallo intermiſſa reuocauit:
quod ipſe confirmat in prooemio
Tuſc. 1. et lib. 3. de Offic. et alibi.

Salutem] Eandem ſententiam
retulit lib. 6. epiſt. 12. *Eſt, in-*
quit, unum perſugium, doctrina ac
litterae, quibus ſemper uſi ſumus:
quae ſecundis rebus delectationem
modo habere videbantur, nunc
vero etiam ſalutem. lib. 9. epiſt. 2.
Modo nobis, inquit, ſtet illud, una
uiuere in ſtudiis noſtris; a quibus
antea delectationem modo pereba-
mus, nunc vero etiam ſalutem.
lib. 13. epiſt. 28. *Studia illa no-*
ſtra, quibus antea delectabamur,
nunc etiam uiuimus.

Omnium doctrinarum] Ergo et
philoſophiae: quod paullo poſt
confirmat, cum ait: *ad eas te re-*
feras artes, quibus a primis tem-
poribus aetatis ſtudium tuum de-
diſti.

Ad bene uiuendum] Bene vi-
uendi praecepta philoſophorum
libris continentur.

Optimis rebus] Florente re-
publica.

In quo acquieſcamus] In Lib. 9.
epiſt. 3. *Nulla nunc in re alia ac-*
quieſcimus.

Vel ſcientia, vel natura] Non
modo enim a litteris, ſed a natura
etiam ipſa prudentiam accipimus:
quid te, inquit, et ſcientia et natu-
ra prudentem, hortor, ut ad eas te
referas artes, quibus, etc.

Illi arti] Eloquentiae.

Neque in curia, neque in foro] Neque in ſenatu, neque in iudi-
ciis. epiſt. 6. *Nihil in foro agere*
libebat: adſpicere curiam non por-
eram. Idem queritur in prooemio

lib. 3. de Offic. *Exſtiſto ſenatu,*
deletisque iudiciis, quid eſt, quod
dignum nobis aut in curia, aut in
foro agere poſſimus?

Tuae ſcientiae] Iuris ciuilis.
Scientias quoque, numero multitu-
dinis, Cicero dixit in libro de Se-
neſt. c. 21. *Tot artes, tantae ſcien-*
tiae, tot inuenta. quod ſingulare
tamen exemplum adhuc inueni.

Excellenti ac ſingulari] Vicit
enim hac laude Sulpicius ſuperio-
res omnes. quod ei tribuit Cicero
in libro de clar. orat. c. 41. 42.
cum cum dicat ad ius ciuile non
modo Dialecticam, verum etiam
litterarum ſcientiam, loquendique
elegantiam adiunxiſſe.

Non multo plus] Plus omnino,
ſed non multo: quia, ſublata cauſa
ſarum actione, pauci de iure con-
ſuluntur. quorſum enim? cum iu-
dices, non quid leges iubeant, ſed
quid is nolit, cuius libido pro le-
gibus eſt, in ſententiis ferendis ſpe-
ctare cogantur.

Non equidem te moneo] Tali
vel ſcientia, vel natura praeditum.
facere enim inſolenter.

Mihi ita perſuaſi] Proſus ita
credo, te quoque in iisdem philo-
ſophiae ſtudiis verſari.

Rebus] Pro, artibus. dixit enim,
ut ad eas te referas artes.

Si minus prodeſſent] Cum ta-
men vehementer proſint, quippe
quae ſalutem aſſerre videantur.
paullo ante.

Animum a ſollicitudine abduce-
rent] Quasi enim aberramus a
moſtitiis, dum litteras tractamus.
lib. 12. ad Attic. epiſt. 38. *Ego hic,*
ſcribendo dies totos, nihil equidem
leuor, ſed tamen aberro. Et ibidem
proxime: *Sine hanc aberrationem*
R 2 a dolore

a dolore delegerim. et epist. 45. ibidem: Ego hic duo magna *εὐτέγυατα* absolui. nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum.

Tibi uni concedam, praeterea

nemini] Sic in extrema oratione pro Marcello: *Vt vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini.*

Gratia refertur] Quod amantem redamat atque obseruat.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Excusanti Sulpicio, quod saepius vno exemplo litteras misisset, culpamque conferenti tum in eorum, qui eas acciperent, negligentiam aut improbitatem, tum in orationis inopiam, qua ipse laboraret, respondet Cicero, primam sibi excusationis partem probari, alteram omnino falsam videri: se enim ipsum non admodum esse verborum inopem, qui tamen sibi et subtilitate et elegantia scribendi Sulpicium anteponat. Causas probat, quibus Achaiae administrationem Sulpicius recusandam non putauerat. Narrat senatus officium, suppliciter de reditu M. Marcelli Caesaris rogantis: quo impetrato, gratias a se Caesari actas esse demonstrat. De suo philosophiae studio eiusque fructu, de Seruii filii probitate ac doctrina quaedam addit. Concludit, eum esse statum reipublicae, ut ea, quae Romae fiant, audire sit optabilius, quam videre. Negotialis est epistola, tum alias ob causas, tum quia reditum Marcello Caesaris liberalitate concessum significat. Caesare III. M. Aemilio Lepido *coff.* deuictis in Africa Pompeii partibus.

EXPLANATIO.

[Vno exemplo] Vt, si qua periret, aliqua tamen perferretur epistola.

Nec nosco ERN. agnosco] Veram esse non confiteor. agnosci- mus enim, quae antea nouimus: ignota vero agnoscere non possumus. non agnoscit igitur Cicero causam excusationis, quam Sulpicius in orationis paupertatem referebat: quia verborum inopem eum non cognouerat. lib. 5. epist. 20. Id ego agnoui meo iussu esse factum. et lib. 11. epist. 3. Neque agnoscimus quidquam eorum. et in Laelio c. 2. Tu, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice.

[*Εἰρωνεύεσθαι*] Dissimulare. quod Socrati vsitatum in disputando fuit, cum iis, quos refellere volebat, plus tribuere videretur.

[*Εἰρωνεύμενος*] Simulans. Est enim ironia modo dissimulatio, ut proxime; modo simulatio, ut hic. dissimulamus enim vera; cum occultamus ea, quae sunt; simulamus falsa; cum ea fingimus esse, quae non sunt. Late igitur patet ironia: et est omnino, ut ait Aquila, cum aliud verbis significamus, aliud res sentimus. Addit Beda: grauitate pronuntiationis adiuvandam. alioqui confiteri videbitur, quod negare contendit.

[Subtilitati et elegantiae] Subtilitas

litas in sententiis, elegantia in verbis. subtilitas autem a Dialectica maxime fumitur, quam Sulpicius egregie cognouit: eoque maxime adiumento et Scaeuolae et ceteris omnibus iurisperitis antecelluit. hoc enim ei testimonium tribuitur in lib. de clar. orat. c. 41. quo in libro subtilitas etiam eius et elegantia nominatur c. 42. his verbis: Adiunxit et litterarum scientiam, et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspicui potest. Cumque discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo; Galli, hominis acuti et exercitati, promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superauit. Quintilianus etiam, Sulpicium ex tribus orationibus insignem famam consecutum esse, lib. 10. c. 1. scriptum reliquit. Alibi subtilitas non idem valet, sed venustas potius quaedam est orationis, et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento: qualis apud nos est Caesaris sermo, apud Graecos Lysiae. itaque lib. 3. de Orat. c. 7. subtilitatem quidem illi Cicero tribuit, acumen autem Hyperidi. Et in Bruto c. 9. illud: Lysiae egregie subtilis scriptor, atque elegans: sic accipio, non ut acutum scriptorem Lysiam dici putem, sed ut purum, ut venustum, ut politum, ut plane Atticum. Attica enim subtilitas ipsa per se laudatur, iis carens ornamentis, quae ab arte sumuntur. qua laude Catonem Censorium afficit Cicero in eodem libro infra c. 17. In nostris, inquit, inscitia est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subti-

litate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non nouerunt quidem: Hyperidae volunt esse et Lysiae. Laudo, sed cur nolunt Catonis? Atticum igitur dicendi genus illud, in quo Lysias excelluit, (nam plura genera, ut ait Cicero, fuerunt) non ornatum, copiosum, illustre, ut Demosthenis et Aeschinis; non acutum, ut Hyperidis; sed exsile, ieiunum, siccum, politum tamen et venustum fuit: idque tum indicant eae, quae exstant, illius orationes: tum ipse Cicero, si Lysiae orationes non haberemus, clarissime tamen ostenderet. nam in eodem libro aliquanto post c. 82. Atticum, ait, se Calvus noster dici oratorem volebat. inde erat ista exsilitas, quam ille de industria consequebatur. Et paullo post: Sin ieiunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponis, hoc recte duntaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem Atticorum. Et infra c. 84. Sin acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum genus orationis probant, nec illo grauiore ornatu oratorio vtuntur, et hoc proprium esse Atticorum volunt; recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutae subtilitati locus. Nam, quod non ita multo post c. 85. dicitur, Lysia pietius esse nihil posse: id assertur ex Attici persona, nimium in Graecos ambitiosi, et a Cicerone dissentientis, qui Catonem Lysiae comparauerat. Cicero autem ipse de Lysia quid sentiat, declarat in Oratore c. 9. his verbis: Dicat igitur Attice venustis-

sinus ille scriptor, ac polirissimus, Lysias. quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum. Et paucis interiectis, qui Lysiam, inquit, sequuntur, caussidicum quendam sequuntur: non illum quidem amplum, atque grandem; subtilem et elegantem tamen. Eandem subtilitatem, quae ab acumine distat, notauit in Lysia Quinctilianus lib.

10. c. 1. Lysias, inquit, subtilis, atque elegans, et quo nihil, si oratori setis sit docere, quaeras perfectius. nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti, quam magno flumini, propior. Et lib. 12. c. 10. Quid Periclea? similemne credimus Lysiacae gracilitati? Item lib. 9. c. 4. Neque illud in Lysia dicendi textum, tenue atque rarum laetioribus numeris corruptendum erat. Hinc agere caussas subtiliter, pro simplici quodam et puro, et ad docendum, non ad promouendum, aut delectandum, apto dicendi genere in causis uti, dixit Cicero lib. 9. epist. 21. Priuatas, inquit, caussas, et eas tenues, agimus subtiliter. Et in Oratore c. 5. Tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam et pressa oratione limati. Et infra c. 23. Orationis subtilitas, imitabilis itla quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Et pro Balbo c. 22. A quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita. Et lib. 2. ad Attic. epist. 21. De republica quid ego tibi subtiliter? tota periit. Et in epist. 15. ad M. Brutum: Messalam habes. Quibus

igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur, quaeque sint in republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia nouit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest? Elegantiam autem differre ab ornatu, ostendit Cicero in epistola ad Cornelium Nepotem: Quis, ait, sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?

Achaicum negotium] Achaiae administrandae curam, a Caesare mandatam. quamquam opinor ei maiorem Graeciae partem esse commissam, licet Achaiae nomine prouincia vocaretur. nam lib. 6. epist. 1. et 4. et lib. 13. epist. 18. 21. 22. video Sulpicium Athenis praeesse: quae non Achaiae vrbs, sed inter Achaiam et Macedoniam fuit. Lib. vero 6. epist. 6. Brutum, ait, Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae. vide infra epist. 12.

Omnes caussae] Quarum vna fuit, ut minus miser esset, cum ea non videret, quae in oppressa patria contra leges moremque maiorum fierent. nam oculi dolorem augent, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.

Auctoritate et prudentia] Decet enim, qui auctoritate et prudentia valeat, cum nihil committere, quod in aliquam reprehensionem possit incurrere.

Aliter cecidisse rem] Putasti te, cum ab vrbe abesses, a molestiis etiam abfuturum. id, ut scribis, te fefellit. lib. 1. epist. 7. Si cecidisset, ut volumus et optamus.

Perculsa et prostrata iacent] Dixi iam, superlatis augeri vim sententiae.

tentiae. sequitur autem, ut perculsa prostrantur, prostrata iaceant.

Foedissimo] Ex iis, quae sequuntur. bello enim omnia deformantur. alibi quoque epithetum idem cum bello iunxit.

Is cuique locus] Vide eandem sententiam lib. 6. epist. 1.

Tui consilii] Quod Achaicum negotium non recusaueris.

Ne id quidem] Non modo libere sentire ac dicere, sed ne scribere quidem tuto possumus sumus enim hic in eorum potestate, qui diligenter, quaecumque agimus, obferuant: quique vel minima re si offendantur, parata nobis grauissima iniuria est.

Moderatius] Sane in victoria se moderatissimum Caesar praeiuit: de quo Suetonius c. 77. haec: *Moderationem clementiamque tum in administratione, tum in victoria belli civilis, admirabilem exhibuit. — nec ulli perisse, nisi in praelio, reperientur, exceptis dumtaxat Afranio, et Fausto, et L. Caesare, iuvene. — Denique tempore extremo etiam, quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire, permisit, magistratusque et imperia capere.* Confirmat ipse Cicero saepe in his epistolis, in hac quidem in extremo: *De reliquis, nihil melius ipso est. in sexta liberalem Caesarem appellat. in septima, non passurum ait, ut iniuria fieret. in decima tertia: Obtinemus ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem. sed ea plus non potest, quam vis et mutatio omnium rerum atque temporum.*

Insolens] Victores enim insolentes facit: epist. 9. *Miserius nihil, quam ipsa victoria: quae etiam si*

ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit.

Vno te vicimus] Cum in reliquis tua melior, quam nostra conditio sit.

Marcelli] M. Claudii Marcelli, qui, Pompeio in Pharsalia deuicto, cuius partes secutus erat, exsulabat.

Collegae] In consulatu.

Salute] Restitutione a Caesare impetrata.

Armis disceptari] Iudiciale verbum ad arma transtulit, cum disceptari legibus, non armis, de iure soleat. epist. 14. *Videbam, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis.* Lib. 6. epist. 1. *Dolebam, pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari.* Quid autem proprie sit *disceptare*, locus indicat in Partit. c. 3. *Aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator.* Et in orat. pro Deiotaro c. 2. *Hanc, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret.* Id ad praetorem proprie attinebat. nam lib. 3. de Leg. c. 3. ita scriptum animaduerti: *Iuris disceptator, qui priuata iudicat, indicariae iubeat, praetor esto.* Et pro Caecina c. 2. *Persaepe disceptatore domestico diiudicatur.* sic lib. 13. epist. 26. ad Sulpicium: *Sic praescripsimus iis, quibus ea negotia mandauimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controuersiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur.* itidem dixit: *videbam, quanto periculo de iure publico disceptaretur.*

R 4

Acer.

Acerbitate Marcelli] Significatur id, quod Suetonius in Iulio c. 28. exposuit his verbis: *M. Claudius Marcellus, consul, edicto praefatus, de summa se republica acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus: — et ne absentis ratio comitiis haberetur. — Nec contentus Marcellus, provincias Caesari, et privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos, rogatione Vatinia, Nouumcomun deduxisset, ciuitas adimeretur: quod, per ambitionem, et ultra praescriptum, data esset.* Commemorauit igitur Caesar offensiones Marcelli, quo scilicet maius faceret beneficium suum: deinde se reditum eius in patriam senatus precibus largiri dixit. in oratione pro ipso c. 1. *Intellectum est enim, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre*

Aequitate tua] Cura Marcello collegae tuo restitisti. de quo idem Suetonius c. 29. *Summa ope restitit, partim per intercessores tribunos, partim per Seruium Sulpicium, alterum consulem.* Id significatur etiam in epist. 3. in eo loco: *absens cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello cauendo et praedicendo sententia.*

Senatui roganti] Non modo preces, verum etiam lacrimas senatus, ut Marcelli reditum impetraret, nominat in extrema oratione, qua Caesari, ob Marcellum restitutum, et suo et senatus nomine gratias egit.

Ne hominis quidem causa negaturum] Alii legunt, *ne omnis*

quidem: quibus assentiri nullo modo possum. dixit enim Caesar, se non esse roganti senatui, ne ipse quidem Marcelli causa, a quo grauer esset offensus, negaturum. quamquam, aiebat, in me fuerit acerbior; tamen, ne hac quidem causa, senatui deprecanti eius reditum negabo. non tanti apud me erit Marcelli ipse iniuria, quanti senatus vniuersi consensus et deprecatio. Ad hunc locum pertinet illud ex lib. 6. epist. 6. *Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit.*

L. Pisone] Patriciae gentis Calpurniae: nam Calpurnii Bibuli plebei: is Caesaris focer erat. exstat in eum Ciceronis oratio.

C. Marcellus] Marci frater germanus, qui cum L. Lentulo consul fuit, biennio post Marcum consulem: nam patruelis fuit alter Caius, qui consulatum gessit cum L. Paulo, anno post Marcum consulem proxime sequenti: ut epist. 9. huius libri, et lib. 15. epist. 9. et apud Suetonium in Iulio c. 29. de germano fratre infra: epist. 7. 9. 11. et in orat. pro Marcello in extremo.

Abieciisset] Nulla suae dignitatis habita ratione: quo magis Caesarem moueret. dolor enim summus in verbo, *abieciisset*, ostenditur.

Supplex] Senatus amorem ac desiderium absentis Marcelli Seneca in consolatione ad Albinam c. 9. declarat his verbis: *illi reditum impetrauit senatus publicis precibus, tam sollicitus ac moestus, ut omnes illo die Bruti habere animum viderentur, et non pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exsules essent, si sine illo fuissent.*

Accede-

Accederet] Accedere ad se supplicem senatum, Caesar passus est: eundem accidere supplicem ad pedes suos, passus certe numquam esset. alia enim C. Marcelli, fratris reditum deprecantis, alia senatus ratio fuit: quem supplicare quidem pro M. Marcello decuit, abiicere se ad Caesaris pedes, oblitum suae dignitatis, haudquaquam decuit. nec Caesar ipse, qui omnia quidem suae potestatis esse, speciem tamen adhuc aliquam reipublicae manere vellet, indignitatem illam tulisset. Quare nihil mutandum.

Noli quaerere] Cum res eiusmodi est, ut eam ne longa quidem oratione pro voluntate nostra satis exprimere videamur posse; confugimus ad hoc loquendi genus, et ad illud, *quid quaeris?* et similia quaedam.

Rogati] Sententiam. Hic mirari licet, cur in re minime dubia sententiae rogarentur. consensit enim senatus uniuersus in Marcelli salute deprecanda. quod illud proxime dictum ostendit: *Fecerat hoc senatus, ut cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet.* Quod cum ita sit: cur sententiae, quasi parum certa senatorum voluntas esset, rogabantur? scripsit enim Varro, teste Gellio lib. 14. c. 7. lib. 4. Epistolarum Quaestionum, *senatus consultum duobus modis fieri solitum, aut per discessionem, si consentiretur; aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas.* Ego Caesarem opinor, licet senatus voluntatem perspexisset, voluisse tamen sententias rogari, quo certius, quid quisque sentiret, intelligere posset: fortasse

etiam, ut in dicenda sententia singuli sibi gratias agerent de Marcello reipublicae restituto.

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Aemilio Lepido consul fuerat, triennio ante Ciceronem.

Si eo loco esset] An hoc dicit? si ea, qua Marcellus dignitate esset, negauit se in patriam rediturum: cum lib. 14. epist. 18. similiter dixerit: *Vos videte, quid aliae faciant isto loco feminae.* Hoc mihi non probatur. non enim, quod ad dignitatem attinet, sibi Marcellum Volcatius anteposuisse, quippe qui consul ante eum fuerat annis XIV. An, *si eo loco esset*, si esset in senatu? ut se Caesari, dum in senatu esset, gratias acturum negauerit. Ineptum hoc videtur. ubi enim magis, quam in senatu, ea de re, quae in senatu agebatur, agi Caesari gratias decuit? Puto igitur hoc dici: negauit se in patriam fuisse rediturum, si Marcellus fuisset; id est, si eadem, quae Marcellus consul, contra Caesarem fecisset; et si cum Pompeio postea aduersus eundem Caesarem pugnasset, nec se, post victum Pompeium, victori credidisset: quae cum Marcellus fecisset, inconstantiae videbatur esse, nec satis honorificum, beneficio eiusdem Caesaris, quem vehementer oppugnauerat, in patriam redire. Atque ad hanc sententiam pertinet illud Plauti in Bacch. Act. 4. Sc. 9. v. 116.

Verum, ut ego opinor, si ego in istoc siem loco,

Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.

Et Catonis illud apud Rufinianum:

R 5

Si

Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?

Magnitudo animi] Quia salutem inimico suo largitus esset.

Egi Caesari gratias] Luculenta exstat oratio: cuius in extremo sunt haec: *Sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua in me unum innumerabilia merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.*

Metuo] Metuo, ne, cum in senatu loqui coeperim, idem posthac saepe cogar facere, ut Caesaris voluntati seruiam. Idem in oratione c. 1. *Et mihi, et meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti.*

Honesto otio] Litterato. dixit enim epist. 3. se, posteaquam nihil esse loci eloquentiae, neque in foro, neque in curia viderit, omnem suam curam atque operam ad philosophiam contulisse. et hic paullo post subiungit, *ut meis studis seruiam.*

Intra modum] *Modice*, est cum modo: *intra modum*, minus. ut enim *supra* et *infra*, sic *ultra* et *citra*, atque interdum etiam *ultra* et *intra* opponuntur: quod Gellius lib. 12. c. 13. ostendit, modeste refutata Apollinaris sententia, qui *intra* negabat pro *citra* posse accipi. Lib. 9. epist. vlt. *Epulamur una non modo non contra legem, sed etiam intra legem.*

Studiis] Quod esse vnicum solatium in malis proxime dixit.

Ingravescit] Augetur. a ponderibus translatio.

Aetatis maturitate] Sexagenarius iam erat Cicero, cum hanc

epistolam scripsit. est enim hic annus urbis DCCVI. quo Caesar III. cum M. Lepido consul fuit: Cicero autem natus est anno DCXLVI. L. Cassio Longino, C. Mario cons.

His temporum vitiis, ut nulla res alia] Epist. 3. *His vero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus.* et lib. 9. epist. 3. *Nulla nunc in re alia acquiescimus.* Et sane plura breui tempore, euerfa, quam multis annis, stante republica, scripsit: quod ipse fatetur in prooemio lib. 3. de Offic.

Aliquid iam noctes te adiuvabunt] Eadem sententia, non iisdem verbis lib. 7. epist. 25. *Equidem aliquantum iam etiam noctis assumo.*

Virtute] *Virtus* hic neque probitatem, neque doctrinam significat, cum probitatis antecedit mentio, doctrinae subsequatur. est igitur praestantia quaedam in omnibus rebus; quae licet cum probitate non idem sit, ab ea tamen, et ab animi magnitudine prudentiaque oritur, qui enim virtutis nomen in eum cadere possit, qui vel probitate careat, vel humili atque imbecillo animo sit, vel denique parentem altricemque virtutum omnium prudentiam desideret? Eodem modo *virtutem* usurpauit lib. 6. epist. 5. et lib. 13. epist. 27.

Doctrinaque] Dabat in primis operam philosophiae. epist. 3.

Communicat] Servio patre per litteras mandante, cui molestum iam esset Achaicum negotium. ideo supra dixit, *tui te consilii poenitet.*

Ipsa] Quo nihil esse moderatius, iam dixit. lib. 9. epist. 17.

Nostrum

Nostrum consilium] Qui suade- voluntas nostra ferat, sed quid
mus tibi, ne decedes. e re tua sit, in consilio dando
Consulimus tibi] Non quid spectamus.

EPISTOLAE V.

ARGVMENTVM.

Est haec Sulpicii epistola si non perfectae, certe admodum diligenter et elaboratae consolationis exemplum. Nam, cum officium consolandi minime deceat eos, qui prorsus dolore vacant; siquidem, qui vere amat, doloris expers in amici casu esse non potest: ut hanc suspicionem tolleret, a molestia sua Sulpicius exordiendum putavit. Rursus, quia consolatio nihil omnino aliud est, quam aegroti animi remedium, a ratione prudentiaque sumptum; quo si caret is, quem consolamur, ratione simul ac prudentia careat necesse est: propterea culpam Sulpicius temeritatis a se voluit auertere, retulitque suae consolationis causam non ad ullam Ciceronis inscitiam, aut imprudentiam, sed ad dolorem, quo impeditus minus ea perspiceret, quae patere sibi possent, paullo moderatius dolenti. Haec quasi proemii loco praeponuntur. Sequitur narratio, in qua maxime colliguntur exempla calamitatum, ne quis dolori nouo relinqui videatur locus. Prima consolandi ratio ducitur a conditione temporum; quae sunt eiusmodi, ut optanda minime vita videatur: altera ab exitio florentissimarum urbium, quae perpetuo mansurae videbantur: tertia ab interitu virorum clarissimorum; qui cum et multi, et uno tempore perierint, una muliercula amissa dolendum multo lenius est. Accedit imperii deminutio, provinciarum deuastatio: quae ipsa quoque non mediocrem in priuatae rei iactura consolationem afferunt. Quid moriendi necessitas? nonne ad leuandam sollicitudinem plurimum valet? Quid vita, iucunde feliciterque traducta? Quid mortis opportunitas, appropinquantibus malis? Haec omnia commemorat Sulpicius in Tulliae morte: mox ad ipsum Ciceronem orationem conuertit. Non debet, inquit, is, a quo multi consilium petere soliti sunt, committere, ut eguisse consilio, et ea, quae aliis praeceperit, ignorasse videatur. nec vero clarum sapientia ciuem expectare decet beneficium temporis, quo dolor exstinguitur, sed a ratione ac sapientia contra quaelibet fortunae tela praesidium petere. Adduntur preces. Si hoc a te ratio ipsa non impetrat, certe non negabis patriae roganti, non amicis et familiaribus, non filiae mortuae, quae carissimum sibi patrem moerore angere non vult. Incommodum proponitur. Vide, ne tuo luctu offendantur ii, qui rerum potiuntur, interpretantes doloris tibi causam esse dominationem suam. Postremo, ne tuam gloriam contemnas, quae ex multis collecta virtutibus, addita fortitudinis et constantiae fama cumulabitur. Scripta est Caesare consule IV. sine collega, deuictis iam in Hispania Pompeii liberis: quod ex duabus ad Atticum epistolis lib. 13. 19. et 20. licet conicere: quod illa fere postrema

postrema huius epistolae verba declarant: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reipublicae tempora et aliorum victoriam lugere. Id confirmatur lib. 13. ad Attic. epist. 20. cuius initium est: A Caesare litteras accepi consolatorias, datas prid. Kal. Mai. Hispani. Nam Hispani Caesar iuit post interfectum Cn. Pompeium, Magni filium, ut in libro de bello Hispaniensi c. 40. scriptum est.

EXPLANATIO.

Tulliae] Quam extinctam morbo, quem ex partu contraxerat, (ut ait Plutarchus) pater ita grauius doluit, ut nec ab amicorum consiliis, nec a philosophiae praeceptis quidquam solatii capere posset.

Propterea quia] Ciceroni, Terentio, Plauto vsitatus est, propterea quod. sic, ideo quod, ideo quia, veteres dicebant.

Pari molestia] Simili potius, quam pari. nam, si par esset, afflictus afflictum consolari non posset. et infra, maiorem esse Ciceronis dolorem, quam suum, in eo significat: *non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias.*

Conari] Conamur ea, quae minime licet perficere. vnde illud Ciceronis in Oratore c. 30. *Vides, illum (Demosthenem) multa perficere, nos multa conari.*

In praesentia] In praesenti, lib. 2. epist. 10. alibi tamen, in praesentia.

Breui] Modo rei, modo temporis breuitatem demonstrat: hic rei, et lib. 1. epist. 9. *Tantum dicam breui.* et lib. 2. epist. 3. *Breui tamen sic habeto.* Temporis autem breuitas indicatur lib. 6. epist. 6. *Vt spero, breui gratulabimur.* Et lib. 5. in Ver. c. 54. *Breui postea est mortuus.* Et in epistola Pompeii lib. 8. ad Attic. 12. *Cum ille*

magnas copias habeat, et maiores breui habiturus sit. Plautus in Rud. Prol. v. 55.

— *Posse breui fieri eum diuitem.*

Non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias] Hoc addit, ne sibi prudentiae laudem, Ciceroni ademptam, tribuere videatur. sic Cicero lib. 6. epist. 5. *Quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere.*

Erepta] Cum enim ea, quae antea bonis ac fortibus viris reipublica deferebat, ad vnius potestatem translata cuncta sint, erepta nobis videntur esse: quandoquidem non iam amplius a nostra virtute et industria expectantur.

Honestatem] Honestas definiri potest, honesti et recti species quaedam, collecta ex iis rebus, quae laudem habent singulae.

Dignitatem] Existimationem, ortam ex honoribus praeclare administratis.

Qui non] *Qui, pro quo modo,* ut alibi quoque, hic usurpari constat.

In illis rebus] In amissione patriae, honestatis, dignitatis, honorum omnium.

Callere] Quasi callo ex consuetudine facto sic obduruisse, ut non

vium

vum dolorem iam non sentiat. Proprie Plautus in Pseud. Act. I. Sc. 2. v. 4.

— *Plagis costae callent.*

Ad animum hic Cicero transtulit, ad stomachum autem lib. 9. epist. 2. *Consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo.* Dicimus et *occulleo* simpliciter, ut lib. 2. ad Attic. epist. 18. *Angor quidem, sed iam prorsus occullui.*

Minoris] Quam illa, quae sunt erepta.

An illius vicem (credo) doles] An doles id, quod illi contigit? verbum enim, *vicem*, hoc videtur significare, ubi cum verbo, *doleo*, coniungitur. lib. 4. ad Attic. epist. 6. *Ipsum vicem minime dolemus.* Alibi aliter accipitur, ut lib. 1. epist. 9. *Nostram vicem vltus est ipse sese*, pro, vltus est ipse iniurias nobis illatas: quod ipsi facere debuimus.

Credo] Ironia: quasi credendum minime sit, ob ea quae sequuntur. nec adest indignationis quaedam vis, cum haec duo coniunguntur, *an credo*. quod enim per interrogationem pronunciatur, in eo simplex ironia non est: sic Lucretius lib. 5. v. 175.

An, credo, in tenebris vita, ac maerore iacebat?

Legi etiam posset simplici ironia: *at illius vicem, credo, doles.*

Et tu veneris, et nos saepe incidimus] Apparet modestia Sulpicii, qui Ciceroni plus, quam ipse sibi, tribuat. nam in *veneris* ratio; in *incidimus* casus est. necesse, inquit, est, pro tua prudentia, in eam cogitationem saepe veneris, in quam nos quoque saepe incidimus. hoc non pendet ab eo, *necesse est*, sed per se consistit, interpositum, ut se

quoque incidere in eam cogitationem Sulpicius ostenderet. Quod quia parum est animaduersum, propterea legendum alii putarunt, *ut, pro, et*, contra veteres omnes libros, quos quidem ego inspexerim: multis autem, amicorum studio et benignitate, nunc vtor.

Non pessime cum iis esse actum] Pessime iis non euenisse. In Laelio c. 3. *Cum illo quis neget actum esse praeclare?*

Sine dolore] Exstinctos naturali morte significat. cum dolore enim moriuntur, quibus vita per vim eripitur.

Mortem cum vita commutare] Notandum loquendi genus, Cicero- ni, quod sciam, non vitatum.

Cum aliquo adolescente primario coniuncta] Diuortium cum Tullia fecerat Dolabella, antequam pareret. quod cum ex hoc loco, tum ex lib. 6. epist. 18. in qua sunt haec: *Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus. Sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit: teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Scripsit tamen ad Dolabellam lib. 9. epist. 11. de filiae morte cum amoris in eam significatione non vulgari, ob eam causam opinor, quod temporis causa, Caesare dominante, apud quem gratus erat Dolabella, simulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam scripsit apud virum suum P. Lentulum ex partu decessisse: cum neque Lentulus inter Ciceronis generos quisquam fuerit; et illa, ut Sulpicii verba ostendunt, et ut ipso teste Cicerone probauimus, post diuortium perierit.

Pareret]

Pareret] Pepererat: sed infans obiit: de quo sic Cicero lib. 10. ad Attic. epist. 18. *Tullia mea peperit XIV. Kal. Iun. puerum ἐπαυγ-
viziον. quod ἠυρόμενον, gaudebam.
quod quidem est natum, perimbe-
cillum est.* Alii legunt, *pararet.* decem octo libri habent, *pareret:* vnus omnino, *pararet.* mihi, *pa-
reret,* esse rectius, et librorum con-
sentientium auctoritas, et sententia
ipsa persuasit. Optandum, inquit,
videtur, vt filios pareret, quos ali-
quando cum florentes cerneret,
laetaretur.

Per se] Suo studio, suae in-
dustriae.

Ordinatum] Honorum hic erat
ordo; quaestura, tribunatus ple-
bis, aedilitas, praetura, consulatus,
censura. inter quaesturam et tri-
bunatum, itemque inter tribuna-
tum et aedilitatem annuum erat
interuallum. aedilitatem, interpo-
sito biennio, praetura: praeturam,
eodem interiecto spatio, consula-
tus sequebatur. censurae post con-
sulatum definitus annus non erat.

Libertate ERN. *Liberalitate*] Dissidentibus antiquis libris, quo-
rum alii *liberalitatem*, alii *liberta-
tem*, habent, sententiam consului;
quae mihi, *liberalitate*, probare
magis visa est. quo nomine non
largitio tantum, sed officium quod-
libet, omnisque benignitas indica-
tur, vt lib. 1. epist. 9. in extremo:
*Illud ad tuam summam amplitudi-
nem, dignitatem, liberalitatem,
qua te scio libentissime frui solere,
pertinere, te sine ulla mora pro-
vinciam successoris concedere.* Quam-
quam ex, *libertate*, aliquid etiam
elicio sententiae: vt ostendat Sul-
picius, neminem amicis iam naua-

re operam aut studium posse, cum
libertas omnibus adempta sit.

Vterentur] Omnino hic diu me-
tor sit anceps dubitatio: cum in
octo scriptis libris, *vti*, viderem,
non *uterentur.* nam etsi non est,
vnde verbum *vti* cominode pen-
deat; cum ab illo, *possent*, interpo-
sita bonorum mentione disiunga-
tur: tamen, quia plurimi apud me
solet esse veterum exemplarium
testimonium, haerebam, haesique
tamdiu, donec in libro perantiquo
Caroli Sigonii plane et diserte scri-
ptum vidi, *uterentur.* quod in hoc
toto verborum ordine atque ambi-
tu, locum habet aptissimum.

Horum] Quae sunt haec? nimi-
rum, quae proxime nominauit, res
a parente tradita, honores, amici.

Ademptum] Vi et iniuria bello-
rum ciuiliū. supra: *Cogita, ea
nobis erepta esse, quae hominibus
non minus, quam liberi cara esse
debent; patriam, honestatem, di-
gnitatem, honores omnes.* Quid
igitur, inquit, horum, quae adem-
pta prius quam data sunt, ad vi-
vendum illam incitare potuit?

*At verò malum est liberos amit-
tere*] Artis est, ex aduersarii per-
sona nobis obicere, quod eius
tueri causam videatur, nec tamen
ad tuendum satis valeat. adhibetur
hoc genus, vbicumque disputatur,
in orationibus quidem frequentis-
sime, in epistolis nonnumquam, vt
Ciceronis ad Brutum. quem locum
lib. 3. c. 8. recitat Quinctilianus:
*Propositis plurimis, quae non se
suaderi Caesari possent, sinne bo-
nus vir, si haec suadeam? Mini-
me. Suasoris enim finis est vili-
tas eius, cui quisque suadet. At
recta sunt: quis negat? sed non
est*

est semper rectis in suadendo locus. et ad Gallum lib. 7. epist. 23. At pulchellae sunt. Noui optime, et saepe vidi. nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem. In oratione autem pro Coelio c. 4. *At enim postea scimus et vidimus, esse hunc in illius amicis. Quis negat?* Ἀντιστοίας Grace vocatur haec figura: cum difficile aliquid et contrarium fateri cogimur, sed contra iniicimus non minus firmum; qualia sunt haec de Ptolemaeo rege apud Cicero- nem in fragm. *Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.* Aquila de figuris.

Haec] Quae cum patimur, iucunda esse vita non potest.

Ex Asia] Non quae tertia orbis terrarum pars est, sed ea, in qua Attalus regnauerat, quam ab eo legatam possedit postea populus Romanus.

Aegina] Inter Cyclades insula nobilissima, ab Aegina Aeaci matre nominata, cum Oenopia vocaretur antea, teste Ouidio lib. 7. Met. v. 472. et Stephano. de hac Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. c. 12. Mela lib. 2. c. 7. alii.

Megaram] Sitam urbem inter Peloponnesum, Atticam, et Boeotiam.

Piraeus] Athenarum portus, quadringentarum nauium capax: opidum quoque eiusdem nominis, quod L. Sulla, praefecto Mithridatis regis Archelao defendente, oppugnauit. vide Gellium lib. 15. c. 1.

Corinthus] Achaiae vrbs opulentissima, quam L. Mummius euerit A. V. DCVI. Plutarchus, Velleius lib. 1. c. 13. alii. Belli causa

fuit, quod legatos Romanos sordibus Corinthii maculauerant. Strabo lib. 8. Cicero in orat. pro lege Manil. c. 5.

Opida] Vrbes nobilissimas vocat opida. Corinthum quidem totius Graeciae lumen appellat in orat. pro lege Manilia c. 5. et lib. 1. de Diuin. c. 25. modo urbem, modo opidum Pheras nominat. *Quid?* inquit, singulari vir ingenio Aristoteles, et paene diuino, ipse errat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat vrbs in Thessalia tunc admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur opido ita grauitate aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent.

Diruta] Corinthi quidem vix relictum vestigium, ait Cicero in Agraria 2. c. 32. postea restitutum a Caesare, Strabo narrat lib. vit.

Nos homunculi] Argumentum a maiori. nam si opida intereunt; quis perire homines miretur? Priscianus lib. 3. *Saepe inueniuntur deminuti uorum deminutia in diuersas desinentia formas, ut homo, homuncio, homunculus, homulus, homullulus.*

Si quis nostrum interiit] Aliis placet, *nostrorum*: ut de propinquis dicatur. Sed mutare non est necesse. eodem enim sententia redit, si *nostrum* legimus cum omnibus antiquis libris. nam etsi de vniuerso hominum genere dictum sit, *si quis nostrum interiit*; pro, cum accedit, ut homo aliquis intereat: ad eos tamen homines referri, qui nobis cari sunt, quis non intelli-

intelligit? cari enim sunt non omnes omnibus, sed omnes suis: et quia nemo fere est, qui carus alicui non sit; ideo generatim recte Cicero dixit, quod deinde in partes diuiditur, *indignamur, si quis nostrum interit.*

Cadauera] Interitus opidorum est euersio. apte igitur, *cadauera.*

Cohibere] Vel *cohibere*, in timore mortis, nec vitam hanc magis, quam deceat, diligere; cum opida quoque eundem cum hominibus interitum expectent: vel *cohibere*, pro colligere, quod est accurata cogitatione rationem perpendere: vt lib. 1. epist. 9. *Collegi ipse me, et cum ipsa quasi republica collocutus sum.*

Hominem te esse natum] Id est, eum, cui moriendi necessitas impendeat. vnde illud Anaxagorae, nunciata filii morte, *sciebam me genuisse mortalem*, Tusc. 3. c. 24. quo spectasse arbitror poetam illum, cum Telamonem, audita Aiacis filii nece, dicentem induxit:

Ego cum gemi, tum moriturum scini, et ei rei sustuli.

In eadem Tusc. c. 13. Et hic infra: *quoniam homo nata fuerat.*

Modo vno tempore tot viri clarissimi] Emphasim habent singula. Omitto, inquit, vetera. modo interitum vidisti et virorum, et clarissimorum, et multorum, et vno tempore. cur angeris ob amissam vnius mulierculae animulam, cui tamen communi naturae lege moriendum aliquando fuit?

Tanta deminutio] Non quod ab imperio populi Romani gentes defecerint, sed quod ciuili bello, et vectigalium fructus, et maiestas,

ac vires etiam populi Romani, caesis tot hominum millibus, imminutae sint.

Omnes prouinciae] Italia, cum Caesar Pompeium eiecit: Hispania, cum Pompeii legatos et exercitum in suam potestatem redegit: Graecia, cum ipsum Pompeium devicit: Aegyptus, vnde victoriam, non sine vitae periculo, reportavit: Asia, propter Pharnacem, Mithridatis regis filium, quem Caesar, Alexandria reuertens, nullo negotio superauit: Africa, in qua Scipionem et Iubam regem vicit: Hispaniam rursus, in qua hoc tempore Caesar consul IV. aduersus Pompeii liberos bellum gerebat. motum in Gallia fuisse nullum puto.

Conquassatae] Impetu belli labefactatae, incommodis et calamitatibus affectae. pro Sextio c. 26. *Etiam exterarum nationes illius anni furore conquassatas videbamus.*

Mulierculae animula] Deminutis nominibus iactura leuior ostenditur.

Homo nata] Nata, vt moreretur. morti enim homines debentur. paullo ante: *Hominem te esse natum.* *Hominem* incerti sexus Donatus dicit esse, cum illud Terentii in Eun. Act. 2. sc. 3. v. 64. interpretatur:

— *Illumne, obsecro,
Inbonestum hominem, quem mer-
catus est here, senem mu-
lierem?*

Et Plautus in Cist. Act. 4. Sc. 2. v. 21. *Hominis miserae misereri.* Alii tamen aliter sentiunt.

Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem ERN. ad cogitationem tuam auoca] Nescio quo modo men-

mendum huc irrepserit, quod vulgatos omnes libros occupauit, iis tantum exceptis, quos olim edidit pater meus, quem pro eximia conseruandae antiquitatis cura laudare satis nemo possit. ac mutationem quidem esse factam, eo magis miror, quod omnes libri veteres, quotquot vniquam viderim, habent, *ad cogitationem*, non, *ac cogitationem*, vt impressi. restituanus igitur veritatem, vel negligentia vel opinione corruptam. Fac, inquit Sulpicius, quod ego feci; qui cum opida, quondam Florentissima, prostrata ac diruta vidissem, inde animum ad cogitandum auocaui, reprehendique communem errorem, quod indignamur, si quis nostrum interit, aut occisus est, quorum vitae exiguos natura terminos circumserpsit; cum vno loco tot opidorum cadauera proiecta iaceant. haec me cogitatio valde confirmavit. Etiam tu, cum tot viri clarissimi vno tempore perierint, imminutum valde sit imperium, provinciae omnes conquassatae, ab hisce rebus, vt ego ab opidorum excidio, ad cogitationem animum auoca; nec vnus mulierculae tantopere commouearis interitu; sed ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt. *Ad cogitationem tuam* dixit, pro, ad eam cogitationem, quae ad te ipsum pertinet; cum illa, de tot virorum clarissimorum interitu, de imperii diminutione, de provinciarum clade, non de ipso proprie, sed aliena cogitatio fuerit. ab hisce igitur rebus ad cogitandum de te ipso animum conuertere.

Ab hisce rebus Quae te excruciant; cum in caede tot virorum clarissimorum, ia imperio demi-

nuto, provinciis conquassatis, plus omnino damni, quam in vnus mulierculae animula, factum sit.

Tua persona] Grauem enim personam sustines, cum amplissimos magistratus eximia cum laude gesseris. Videtur in verbo *persona* honorificum quiddam inesse: vt lib. 1. de Fin. c. 1. *Aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras vocent: genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen, et dignitatis esse negent.*

Quandiu ei opus fuerit] Non enim, cum respublica occideret, opus fuit.

Praetorem, consulem] Magistratum alii maiores, alii minores vocabantur: maiores, praetor, consul, censor: minores, reliqui. hic maiores duo nominantur, praetora et consulatus. nam censuram Cicero non gessit. Gellius lib. 13. c. 14.

Augurem] Augur creatus est (vt ait Plutarchus) in locum P. Crassi a Parthis cum patre M. Crasso interfecti, cum ab exilio restitutus esset, antequam iret in provinciam. nam antea sacerdotium illud non appetinerat: vt ipse ad Catonem scripsit lib. 15. epist. 4.

Adolescens primariis] Tribus nupsit enim primum C. Calpurnio Pisoni Frugi, vt est lib. 1. ad Attic. epist. 3. deinde Furio Crassipedi, de quo ad Lentulum, lib. 1. epist. 7. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 4. quo mortuo, vel relicto, (nam neque de obitu eius, neque de diuortio constat) P. Cornelio Dolabellae collocata est, vt lib. 8. epist. 13. et lib. 2. epist. 16. et alibi. a Dolabella, vt iam diximus, dimissa, periit ex partu, in quo notauimus olim Plutarchi et Asconii

indiligentiam, qui duos tantum Ciceronis generos nominarunt, Pisonem et Lentulum, in Lentuli etiam nomine peccantes. nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit.

Primariis] Omnibus quidem patricii generis. patriciae enim gentes, et admodum antiquae, Calpurnia, Furia, Cornelia.

Cum res publica occideret, vita excellisset] Eandem sententiam lib. 3. de Orat. c. 2. cum de L. Crassi morte loqueretur, consolationis loco posuit. *Non vidit*, inquit, *flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia senatum, non sceleris nefarii principes ciuitatis reos, non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.* c. 3. *Vt ille, qui haec non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul extinctus esse videatur.* Et in libro de clar. orat. c. 1. opportuno tempore Hortensium obiisse ostendit, appropinquante reipublicae interitu. *Tum occidit*, inquit, *cum lugere facilius rempublicam posset, si viueret, quam inuare: vixitque tam diu, quam licuit in ciuitate bene beateque viuere.*

Hoc nomine] Hanc ob causam, quod vita nunc excesserit.

Ciceronem esse] Multis iam clarum virtutibus. vis maior est in ipso nomine, quam si dixisset, *cogita qui sis.* tale illud lib. 3. epist. 7. Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam. Et lib. 3. ad Attic. epist. 2. *Cum Hortensius*

veniret, et infirmus, et tam longe, et Hortensius. Et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen ciuis Romanus, et Cato.* Et illud Caesaris ad gubernatorem tempestatum diffidentem: *Caesarem vebis.* Lugere autem in funere, et in reliquis calamitatibus, quo quisque nobilior et praestantior est vir, eo minus licet. itaque praeclare Euius:

Plebes in hoc regi adest loco: licet

Lacrumare plebi, regi honeste non licet.

Neque imitare ERN. imitari] Ita pendet hoc a verbo *noli*, ut ex eo tamen eliciatur affirmatio: hoc modo: *neque velis imitari malos medicos.* nam quaedam ex negatione et affirmatione composita, ut, *nemo ex non et homo, nolo ex non et volo*, in prima sententiae parte vim habent negandi, ut hic, *noli te obliuisci Ciceronem esse*: in secunda affirmant, ut, *neque imitari*: quod ita regitur, ut diximus, a verbo *noli*, ut subaudiatur non ea pars, quae in eo verbo negat, sed ea tantum, quae affirmat. Sic et Cicero locutus lib. 12. epist. 30. *Noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere.* nam particula *nec*, respicit ad *noli*, sic tamen, ut, *velis*, eliciatur, quod in *noli* inclusum est. Horatius quoque affirmationem ex *nemo*, eduxit in iis versibus lib. 1. Serm. Sat. 1.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem

Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa

Contentus viuat? laudet diuersa sequentes?

hoc

hoc enim, laudet diuersa sequentes, cum referri necesse sit ad nemo; tamen affirmatiue sumi, planè constat.

Quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiice] Sic Cicero epist. 9. ad M. Brutum: *Est alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri praeciperis, id ipsum facere non posse.*

Longinquitas temporis] Eadem sententia aliis verbis lib. 5. epist. 16. et lib. 6. epist. 4. et lib. 7. epist. 28. Tale illud Philippidae:

Ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει
χρόνος.

et Menandri:

Πάντων ἰατρός τῶν ἀναγκαίων κα-
κῶν χρόνος ἐστίν.

et Diphili:

Δύτης δὲ πάσης γίνετ' ἰατρός
χρόνος.

et Philetæ:

Ἄλλ' ὅτ' ἐπὶ χρόνος ἔλθῃ, ὃς ἐκ
Διὸς ἄλγεα πέσσειν
Ἑλλαχέ, καὶ πενθέων φάρμακα
μῆνος ἔχει.

Sapientia occurrere] *Impetret ratio, quod dies impetratura est*, dixit lib. 12. ad Attic. epist. 10.

Quod si qui etiam inferis sensus est] Dubitat in eo, quod philosophorum alii negauerant, alii crediderant [potius, quam probauerant. Cicero in Catone maiore, Platonem secutus, residere in morte sensum putat. lib. 5. epist. 16. ita disputat, quasi ancipiti sententia distrahatur. Isocrates dubitauerat. nam in Euagora, εἰ τις, inquit, ἐστὶν αἰσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γινομένων. Et in Placensium supplicatione: Εἴ τις ἄρα τοῖς ἐκεῖ φρέσιν ἐστὶ περὶ τῶν ἐν-

θάδε γινομένων. Et in oratione Aeginetica: Θεράπων, ὁ πατήρ ταύτης, ἤγοιτ' ἂν δεινὰ πάχειν, εἴ τις ἐστὶν αἰσθησις τοῖς τεθνεώσι περὶ τῶν ἐνθάδε γινομένων, ὅρῳ τῇ μὲν θυγατρὶ ἀποσευμένην τῶν χρημάτων.

Qui illius in te amor fuit] Notum loquendi genus: quod valet, *pro amore in te suo*. lib. 13. epist. 78. *Quae tua natura est*. et lib. 6. ad Attic. epist. 9. *Quae tua prudentia et temperantia est*. Et lib. 7. ad eundem epist. 7. *Quae tua est humanitas*. et in epist. 4. M. Bruti ad Ciceronem: *Quae tua est humanitas*.

Pietas in omnes suos] Dixi iam, pietatis nomen plus omnino, quam amoris, significare. vt lib. 1. epist. 9. perspicue cernitur. vsurpatur in deos, parentes, propinquos, optime de nobis meritos.

Reipublicae tempora] Miserri-
ma, ob amissam libertatem.

Aliorum victoriam] Hoc dicit, quia paullo ante Caesar Pompeii liberos in Hispania deuicerat.

Si hoc unum proposuero] Sic loquimur, cum ita nos aliquid dicuros esse ostendimus, vt aliquid tamen praeponere velimus. lib. 13. epist. 10. *Videor mihi, cum separatim de probitate eius et moribus dicturus fuisset, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuisset, in ipsa causâ exponenda satis etiam de probitate dixisse*. Et lib. 2. de Offic. c. 6. *Quoniam nonnumquam hoc subsidium necessarium est: quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus*. Et in Phil. 14. c. 2. *Ad litteras veniam, quae sunt a con-*
sulibus

Sulibus et a propraetore missae, si pauca ante, quae ad ipsas litteras pertineant, dixerō. Et in eo commentariolo, qui de optimo genere oratorum inscribitur, c. 7. Aggre-
diamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae causa in iudicium deducta sit. Lib. 3. in Ver. c. 5. Haec et dicentur alio loco, et dicta sunt: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante fuerimus a vobis, iudices, deprecari. Et ibidem infra c. 16. Omnes eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quaestus causa constituisse conuincam, si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus usurum se putat, ex defensione eius deiecerō.

Apisci ERN. *Adipisci*] *Apisci*

placet aliis. non contemno antiquitatem, colo etiam et obseruo: sed *adipisci* cur non retineam, cum omnes in eo mei veteres libri, nullo discrepante, consentiant.

Onus] Vt ferre non queas. respexit ad id, quod proxime dixerat, aequē ferre.

Haec una] In aduersis constantia et fortitudo.

Tranquilliore ERN. *Tranquilliore animo esse*] Sic libri septem antiqui: alii, *tranquilliore*. vtrumque recte.

Prouincia] Achaia: quae et Graecia dicta est. lib. 6. epist. 6. et Ptolemaeus. de tota Sulpicii Achaica iurisdictione, vide quae diximus epist. 12.

EPISTOLAE VI.

ARGVMENTVM.

Respondet Sulpicio consolanti, dolorem suum lectis illius litteris aliqua ex parte lenitum: sed nemini umquam in eiusmodi casu aut plures, quam sibi, dolendi causas, aut grauiores fuisse: leuationem tamen sibi fore maximam, si eius consuetudine sermonibusque frui liceat.

EXPLANATIO.

Ego vero, Serui, vellem] Cum in rescribendo amici consilium aut voluntatem comprobamus, utimur simili principio. ad Curium, lib. 7. epist. 30. *Ego vero iam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio.* Ad Verronem lib. 9. epist. 5. *Mibi vero ad nonas bene maturum videtur fore.* Ad Tironem, lib. 16. epist. 10. et 23. Lib. 13. ad Attic. epist. 41. 43. et lib. 16. ad eundem epist. 3.

Ea scripsisti] Quod prudentiae et doctrinae fuit.

Dolorem adhibuisti] Quod humanitatis et amoris.

Illi tempore] Illi calamitati: vt lib. 1. epist. 9. *Habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae.* Et ibidem paullo post: *Scripsi versibus tres libros de temporibus meis.*

Tibi gratum] Eadem fere sententia clausit epistolam tertiam.

Iucundiora] Iucunditati locus non est in rebus miseris, nec fere iucundum quidquam, quod non idem gratum: grata vero multa, non eadem iucunda. lib. 13. epist. 18.

Tale

Tale tuum iudicium de homine eo, quem vnice diligo, non potest mihi non summe esse iucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est. lib. 5. epist. 15. *Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his litteris, quas a te proxime accepi; non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus et optatus: dicere, iucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Similiter lib. 1. ad Attic. epist. 17. Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua iucunda, et timoris consolatio grata. et lib. 3. ad eundem epist. 20. Auunculum tuum funtum esse officio, vehementissime probo: gaudere me tum dicam, si mihi hoc verbo licebit uti. Ibidem epist. 24. Ista veritas, etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est.*

Non oratio tua solum, et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas] Tria consolantur: rationes ad minuendum luctum aptae; dolor eius ipsius, qui consolatur; auctoritas demum sapientis et clari viri, quae rationibus vim et pondus addat. rationes et auctoritatem attigit in epist. 9. ad Brutum, hoc modo: Me quidem cum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua, a nimio moerore deterruit. Et ibidem proxime: Iudicium tuum magni aestimans, idque veritus, me ipse collegi: et ea, quae didiceram, legeram, acceperam, grauiora duxi, tua auctoritate addita.

Aegritudinis] Tusc. 3. c. 10. Vt aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo, nomen habet non seiunctum a dolore. et ibidem: Praeclare nostrum, ut alia multa,

molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum aegrorum, aegritudinem nominauerunt.

Q. Maximus] Quos hic nominat, eosdem et alios praeterea, ut exemplo multorum sedaret luctum suum, in eo libro collegit, quem de consolatione ad se ipsum inscripsit. legimus enim haec in Epitaphio Nepotiani, apud Diuum Hieronymum: L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaeuolas, Metellos, Marcios, Crassos, Marcellos, atque Aufidios; quorum non minor in luctu, quam in bellis, virtus fuit; et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicauit. In Tusc. 3. c. 28. Gallum non nominat. Quaelis, inquit, fuit Q. Maximus, effereus filium consularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis: qualis M. Cato, praetore designato, mortuo filio: quales reliqui, quos in consolatione collegimus. Q. Maximus est ille Fabius, qui rem Romanam secundo Punico bello, superiorum ducum temeritate euersam, cunctando restituit: de quo Ennius,

Vnus, qui nobis cunctando restituit rem.

quem versus Virgilius usurpauit lib. 6. Aen. v. 847. Et si Maximi cognomen ab auo, Q. Fabio Rulliano, accepit, ut ex Liuius et Valerius constat: tamen cum Q. Maximus legitur, non ille Rullianus, sed hic Verrucosius significatur, ut in libro de Sen. c. 4. Multa in eo viro praeclara cognoui: sed nihil est

admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri, et consularis.

Magnis rebus gestis] Quarum illa fuit maxima, quod Hannibalem iuueniliter exultantem patientia sua molliuit. Arpos quoque recepit: quod opidum Hannibalis praesidio tenebatur.

L. Paullus] Aemilius, qui Macedoniam, victo rege Persa, ad imperium adiunxit, intulitque ex praeda in aerarium bis millies centies H-S vt ait Velleius lib. I. c. 9. id est, sexagies tricies centena milia scutorum.

Duo septem diebus] Patet historia apud Plutarchum, Liuium lib. 45. c. 40. Velleium lib. I. c. 10. et alios.

Vester Gallus] Qui Sulpiciae gentis, fortasse, cum hic Cicero consularium virorum exemplis uti videatur, hic est C. Sulpicius Gallus, qui consul denecit Ligures A. V. DLXXXVII. de quo sic in Laelio c. 2. *Memineram Paulum, videram Gallum: sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro.* Et paullo post c. 6. *Viros bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos.* Et infra ibidem c. 27. *Hac nos adolescentes benevolentia senes illos, L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Graechum, Scipionis nostri socerum, dileximus.*

M. Cato] Ille Censorius, et bellicis rebus et doctrina clarus.

Filium] De quo sic in libro de Senect. c. 23. Cato ipse loquitur: *O praecursum diem, cum ad illud diuinum animorum concilium, coetumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluione discedam! pro-*

ficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior: cuius a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum, animus vero non me deserens, sed respectans, in ea perfecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quod aequo animo ferrem: sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore. Plutarchus ait a patre virum optimum in eius libris appellari solitum: nec ab eo, sed a Salonino Catone, quem e Salonii scribae filia, post obitum prioris vxoris, censorius Cato susceperat, originem duxisse Catonem illum, qui se Vticae interfecit. quod Gellius confirmat lib. 3. c. 19.

Adspicere curiam non poteram] Curia, templum, aedes sacra, diuersa esse possunt. nam curiae, vt ait Varro, duorum generum; eae, in quibus sacerdotes res diuinas curabant, a Romulo institutae; et eae, vbi senatus humanas, vt curia Hostilia: quae neque templum fuit, nisi postquam per auguria constituta est; neque aedes sacra, quia nulli deo dicata. sed cum senatus consulta non nisi locis per auguria constitutis, quae *templa* vocabant, haberi possent: propterea et curia Hostilia, et Pompeia, et Iulia quoque, cum profanae fuissent, per auguria constitutae sunt, quod a Varrone proditum indicat Gellius lib. 14. c. 7. Eadem ratione templum ab aede sacra distat. nam templum per se auguratum est, non sanctum: aedes vero sacra per se sancta,

sancta, non augurata, ut aedes Vestae: sed, si augurio constituitur, ut multae, quod ait Varro; tunc et sancta et augurata est, ideoque et curia, et templum. Rostra in foro saepe *templa* nominantur, quod augurato constituta: quae tamen neque aedem sacram, neque curiam fuisse, satis constat.

Industriae meae fructus] Industriæ fructus erat, prodesse amicis in foro, reipublicae in curia.

Fortunae] Quis est hic fortunæ locus? fortasse, quia fortuna industriam adiuvat.

Frangerem ipse me] Illata animo vi, ut illa grauißima toleranter tamen ferret.

Consensisse ERN. *Consensisse*] Nihil muto, ne dissentiam sine causa ab omnibus antiquis libris, quos quidem adhuc viderim. nec videtur obscura sententia. Illa, inquit, quae me grauius affecerant, consensisse iam videbantur: nam vetustas dolorem sedat: nunc eadem hoc tam graui vulnere recrudescunt. Metaphora est ab iis morbis, qui licet vetustate non

omnino tollantur, quotidie tamen ex consuetudine leuiiores fieri videntur. non enim sublata ea mala Cicero significat, sed animum suum diuturnitate tamquam occalluisse, ut aliquanto minus ea sentiret: nunc autem veterem sibi acerbissimam nouo esse vulnere renouatam. Accedit eiusdem Ciceronis testimonium. nam lib. 7. epist. 26. *senescens*, ait, *morbi remissio*. Sic *senescens laus*, alibi dixit.

In eius bonis] Quae nunc nulla sunt.

Et domo absum, et foro] Erat igitur in agris.

Leuatio] Ratio, mei veteres libri omnes: quod sententia non caret. Aliorum tamen coniectura non displicet.

Tibi amicissimi] Quia consul Sulpicius M. Marcello collegae, Caesari Gallias ante diem eripere conanti, restiterat, pacisque semper auctor fuerat. epist. 1. et 3. et Suetonius in Caesare c. 29. amicissimus etiam Sulpicio Caesar, quia suis in praefidiis eius filius ciuili bello fuerat. lib. 9. ad Attic. epist. 18. et 19. et lib. 10. ad eundem epist. 3.

EPISTOLAE VII. ARGUMENTVM.

Videtur in Thessalia Pompeii partibus, diuersum a reliquis Pompeianis M. Marcellum consilium cepit. nam neque ad Caesarem victorem supplex voluit accedere; quod fortis animi fuit: neque se ad eos adiunxit, qui bellum in Africa renouandum putarunt; arbitratus, cum integri pares non fuissent, fractos superiores esse non posse. quod ab eo factum sapienter, belli exitus declarauit. locum igitur bello vacuum Marcellus delegit, ubi, tamquam in exsilio, procul a patria seruiente, in qua nihil iam leges, nihil mos maiorum valeret, procul ab armis, in quibus victoriae spes nulla, exitium esset exploratum, sibi ipse viveret. quod consilium in hac epistola nec probat Cicero, cum ipse, profligatis Pompeii partibus, in Italiam statim red erit; neque reprehendit, ne virum grauem, hominem sibi amicissimum, imprudentiae da-

mnare videatur. *Vtitur igitur via quadam, et ita Marcelli factum laudat, vt modum in eo requirat. ad persuadendum colligit haec: posse Marcellum, si Romam redeat, nullo negotio fortunas suas obtinere: se quoque, cum in eadem esset causa, ad Caesaris clementiam confugisse, ventamque impetrasse: inimico Caesare, Marcellum nunquam fore tutum; amico, debere illum Rhodo, et Mitylenis Romam anteponere; idem omnes, qui eum diligant, sentire: habendam etiam rei familiaris rationem, quae vt, ipso praesente, facile conseruari, sic, absente, diripi, ac dissipari possit. Commemorat Marcelli fratris lacrimas, et dolorem suum: gratia se non abundare, sed ad omnia, quae possit, paratum esse demonstrat. Tota moralis est epistola. C. Caesare III. M. Lepido cons. post bellum Africanum.*

EXPLANATIO.

[Esi eo te adhuc consilio usum intelligo] Monendi partes qui suscipit, vitare debet vitium arrogantiae. ideo capit initium Cicero a laude Marcelli. Porro, quia facilius impetrat amicus, quam alienus; mentionem induxit veteris amicitiae.

[Non quin ab eo ipse dissentiam] Non enim eo, quo Marcellus, consilio vsus erat; quippe qui, post Pharsalicam pugnam, desperatis rebus Brundisium se contulit. infra, *de quo, inquit, quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim.*

[Non anteponam] Captat benevolentiam a modestia sua, et a Marcelli laude.

[Non aliena a dignitate] Hoc addit, quia Romae viuere, cum vnius voluntas pro legibus esset, contra dignitatem Marcellus existimabat. potius tamen pro tuenda salute, fortunisque conseruandis, quam pro dignitate, rationes adducuntur. nisi si ad dignitatem illud pertinet: si per Caesarem liceat in alienis etiam locis quiete ac libere viuere, cogitandum tamen esse,

Romae ne potius et domi, an Mitylenis et Rhodi viuendum esse videatur.

[Ego eum te esse] Aggreditur probare, satis iam officio Marcellum fecisse: vt ostendat, debere eum aliquando cum suis in patria viuere.

[Multo ante] Itaque Caesaris potentiam, adempta ei prouincia, minuere conatus est: in quo Sulpicium collegam habuit aduersarium. Suetonius in Caesare c. 29. et lib. 8. ad Attic. epist. 3.

[Ita gerendi] Quod urbem Pompeius primum, deinde Italiam, stulto consilio deseruit. hoc in epistolis ad Attic. saepe accusat Cicero, atque etiam ad Tironem lib. 16. epist. 12. *Urbem, inquit, reliquimus: quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare.*

[Copias] Militum numerum: quem cum, ante Caesaris aduentum, maximum promississet, Caesaris aduentu truncato, paratum exercitum non habuit: ex quo Favonii vox illa, *nunc, Pompei, terram pede percute*: quia promississet, ubi terram, pede percussisset, ilico

ilico futurum, ut adessent ingentes peditum equitumque copiae. quod postea non praestitit, lib. 7. epist. 3. *Neque magnas copias, neque bellicosus.*

Genus exercitus] Ex tironibus magna ex parte collectum. lib. 7. epist. 3. *Signa, inquit, tirones et collectio exercitus, cum legionibus robustissimis contulit.*

Qua in sententia me quoque fuisse] Confirmat idem in orat. pro Marcello c. 6. *Nostri, inquit, sensus, ut in pace semper, sic cum etiam in bello congruebant.*

Ne interesset] Cum bellum susceperetur. ideo dixit lib. 6. epist. 6. *Suscepum bellum est, quiescente me: depulsum ex Italia, manente me, quoad potui. Et lib. 16. epist. 11. Ego adhuc orae maximae praesum a Formis. Nullatenus minus negotium suscipere velui. et lib. 7. ad Attic. epist. 11.*

Consilio, auctoritate] Eandem sententiam aliis verbis enunciauit lib. 6. epist. 1.

Cum spe vincendi] Idem aliis verbis lib. 7. epist. 3. *Nec putanti, inquit, cum integri pares non fuissetis, fractos superiores fore.*

Sapientem et bonum] Bonum, quia bellum civile pro salute, ad dignitatem patriae suscipiat; sapientem, quia inuitus: cum exitus victoriae maxime sit incertus.

Extrema libenter non persequi] Ut ii, qui se in Africam contulerunt. Scipionem, Catonem, Labienum, aliosque significat. quos neque Marcellus, neque Cicero secuti sunt. lib. 9. epist. 6.

In Africam] Ad Iubam regem, qui, Curione Caesarianarum partium duce interfecto, equitatum

firmissimum, et elephantos plurimos habebat. ideo stultitiam eorum, qui ad bestiarum auxilium confugerant, carpit Cicero lib. 9. epist. 6.

Medium] Ut neque bellum renouares, neque Romam redires, sed in opidum liberum, et ab armis remotum, te reciperes.

Ut mihi quidem videtur] Hoc interposuit modestiae causa, ne Marcelli consilium plane reprehendere videatur.

Fortunas] Veritus, ne, praeter alias causas, hoc etiam nomine Marcellus exfulare statuisset, quod fortunarum suarum incolumitatem desperaret, optime Caesarem in eum esse animatum significat, nec dubitandum, quin suas fortunas obtinere possit.

Penes quem est potestas] Qui rempublicam tenet. dixit paullo post: *qui locus hoc dominatu vacat?* et, *qui omnia tenet*, in epistola sequenti: *omnia delata ad unum sunt*, epist. 9. *qui plurimum potest*, epist. 13. *qui potiuntur rerum*, lib. 1. epist. 8.

Beneficium non putares] Latenter significat, si Marcellus, ut multi, veniam a Caesare velit petere, eius fortunas omnes fore saluas. quod ut faciat, aperte non hortatur; ne magni animi virum offendant: hortationis autem loco, prudenter subiungit illud: *de quo quid sentiam, nihil attinet dicere: cum appareat, ipse quid fecerim.* Post Pharsalicam enim pugnam, Caesar et Cicero et aliis ignouerat.

Cogitandum tibi tamen esset] Primum argumentum sumpsit a fortunarum spe, alterum ab exemplo sui facti, tertium a Caesaris potesta-

potestate, quantum hic subiungit ab honestate. nam vt Mitylenis aut Rhodi viuere aequae ac Romae tutum sit, certe honestius in patria tua. Verbum autem, *cogitandum*, ad honestum spectasse Ciceronem potius, quam ad iucundum, significat: quamquam in epistola sequenti, cum simili vteretur argumento, dixit: *in qualemcumque locum, quae est domestica sede iucundior?* quamquam ibi statim de dignitate subiunxit.

Cuiusmodi res esset] Quaecumque res publica esset. quod epist. 9. expressit.

Mitylenis] Quo se contulerat a Pharfalica pugna. in Bruto c. 71. *Vidi enim Mitylenis nuper virum, atque, vt dixi, vidi plane virum.* Et Valerius Max. lib. 9. c. 11. et Seneca in libro de Consolatione ad Albinam c. 9. et hic lib. 7. epist. 3.

Veremur] Minus est, quam *timeamus*. valet enim: quem ne offendamus, veremur.

Vt terrarum orbem complexa sit] In epistola sequenti, *qui locus hoc dominatu vacat?*

Alienae] Minor enim in externis locis ad facinus verecundia. epist. 9.

Etiam si oppetenda mors esset] Non modo Romae esse malim, cum in vrbe minus, quam in externis locis, periculi esse videam, sed etiam si oppetenda mors esset.

Futura perpetua] In re tua familiari non perpetuam iniuriam, sed repentinum aliquem, te absente, praedonum impetum extimesco.

Qui essent] Caesarianos quosdam insigni audacia, et fortasse egentes, designat.

C. Marcelli] Qui consul fuerat post M. Marcellum anno proximo.

Fratris optimi] *Patruelis*, vt ait Suetonius in Caesare c. 29.

Te deprecantur] Tuam salutem a Caesare precibus petunt. *Deprecamur*, vel cum expetimus aliquid, vel cum recusamus. prior significatio patet hic, et in orat. pro Marcello c. 5. *Cum*, inquit, *M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicae conseruauit.* Et ad Cornificium lib. 12. epist. 24. *Nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denunciandum bellum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.* Alterius exemplum significationis vnum illud pro Balbo c. 7. cum suppetant multa, recitabimus: *Quiddam de communi conditione omnium nostrum, deprecandae malevolentiae causa, breuiter commemorandum videtur.*

Precibus tardiores] Hic locus ostendit, C. Marcellum, etsi Caesaris dignitatem, vt in Suetonio c. 29. legimus, consul oppugnauerat, civili tamen bello non interfuisse. alioqui deprecatore ipse quoque eguisset: quod de se ipso Cicero subiungit.

Deprecatione ERN. *Deprecatore*] In primis pro eo deprecatus videtur gener eius Dolabella. lib. 11. ad Attic. epist. 7. in oratione tamen pro Marcello c. 5. vt serui-ret praesentis Caesaris auribus, eiusque gratiam humanitatis laude colligeret, ait se, *nullo deprecante*, reipublicae redditum.

A tuis reliquis] A reliquis Marcellis. qui videntur de Marcelli reditu non valde laborasse. nam et in sequenti epistola, *redeo*, inquit,

ad

ad unum illud, me tuum esse, fore cum tuis, si modo erunt tui. idque Marcellus ipse in suis litteris significavit, in eo loco: In summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui vere meae salutis fauerent, te cupidissimum mei, singulareque mihi benevolentiam praestitisse cognovi. Quare interdum mihi venit in mentem suspicari, ne de his etiam loquatur,

cum scripsit, hi qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere considerem.

Non adhibemur] Ad consilium de tuo reditu capiendum. lib. 10. epist. 25. Haec eadem locutus sum domi meae, adhibito Q. fratre meo, et Caecina, et Calvisio. Et lib. 11. epist. 7. Cum adhibuisses domi meae Lupus me et Libonem, et Servium.

EPISTOLAE VIII.

ARGUMENTVM.

Partes huius epistolae sunt tres. In prima laudat Cicero Marcelli prudentiam et fortitudinem, ut eius vel monendi vel confirmandi officium ideo videatur omittere, quia necessarium non putet: in secunda se paratum ad omnia pollicetur: in tertia studet ei persuadere, ut omnino, quicumque status reipublicae sit, in patria viuat. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Hominem, unumque ERN. virum. que] Saepe utrumque coniungitur ad augendam laudem. nam homo commune nomen est: vir, proprium eorum, qui aliqua laude praestant.

Virtuti] Cuius eximia vis non in secundis, sed in aduersis rebus agnoscitur.

Praebeam praestemque] Multi enim se praebent, nec praestant, et in verbo praeebo, species quaedam propensi ad iuuandum animi; in praesto, res ipsa et actio declaratur.

Adsim praesto] In vulgatis libris, *sim praesto*. ego, cum in antiquis omnibus, *adsim*, viderem; etsi ad sententiam, vtro modo legatur, parui refert; tamen, antiquitatis conservandae causa, *adsim* malui.

Quae possum (abest in ERN.) Vereor ne commenticium hoc sit:

nullo quidem in antiquo libro reperitur, et abesse potest.

Ea quoque] Mei veteres omnes libri, vno tantum excepto, addunt etiam. nec displicet. augeri enim quodam modo sententia videtur, si etiam, auersa semicircula nota a quoque disiungat, ut sequentibus seruiat.

Putem ERN. Putent] Et hic aliquot non recenter scripti libri habent, *putem*.

Vel censuisse] Correptione utitur, quia dixerat iam, neque monere te audeo, praestanti prudentia virum.

Reque principem] Qui principem dignitate et auctoritate locum tenebis, necessitate, qua excusantur actiones nostrae, cedes tempori, cum ad vnum Caesarem referri omnia videbis, et feres. in epist. seq.

Ad

Ad exsulandum] Si Romae, vt in republica, id est, vt in antiquo legum ac morum optimorum domicilio, esse non potes; sis tamen, vt in exsilio.

Hoc dominatu vacat] Cum eius potestas, quem veremur, terrarum orbem complexa sit. in epist. superiore.

Sed mihi crede] Quamquam, inquit, praeter iucunditatem, volo te etiam de tua pristina dignitate sperare plurimum.

Fauet ingenii] Eandem rationem, cum Caecinam spe melioris fortunae consolaretur, vsurpauit lib. 6. epist. 6. *Mirifice*, inquit, in-

geniis excellentibus, quale est tuum, delectatur.

Nobilitatem] A maioribus acceptam.

Dignitates ERN. *Dignitatem*] Ipsius Marcelli.

Res] Natura bellorum ciuiliū, quae non concedit, vt victor eos, qui contra arma tulerint, vehementer ornet.

Ipsius causa] Rationes eius, id quod ad ipsum proprie pertinet.

Si modo erunt tua] Quis non intelligit, carum suis Marcellum non fuisse? licet in obscuro causa sit. ideo in epistola superiore: *a tuis reliquis non adhibemur*.

EPISTOLAE IX.

ARGVMENTVM.

Et hic refellere omnia conatur, quae reditum in patriam dissuadere Marcello videbantur. Non libenter vides ea, quae sunt: at eadem audis quotidie, quae maiora etiam videri solent. Acerbum putas, si cogaris vel dicere, quod non sentias, vel facere, quod non probes. esto: necessitas excusat. verum nec loqui contra sententiam suam quisquam cogitur: et tacere plane licet. At vnus omnia tenet. idem accidisset victore Pompeio; qui etiam crudelior fuisset; vt ex praeteritis intelligitur. Laudem ex consilio tuo consecutus es. fateor. sed huius quidem laudis partem sibi aliquam fortuna vindicat; cuius beneficio factum est, vt honesto otio teneris et statum et famam dignitatis tuae. quod cum ita sit, qui tibi secundam perpetuo fortunam praestare potes? habet igitur ista ratio modum quendam. Si iucunditatem quaeris; qui locus domestica sede iucundior aut dulcior? Adspēctum patriae fugis, quia deformior est. miserere potius, nec auge miseriam eius absentia tua. Magni animi laus te delectat: ideo supplex ad Caesarem ire noluisti. potest adscribi superbiae, si aspernaris eiusdem liberalitatem. Nec tam sapientia videtur, carere patria seruiente, quam inhumanitas quaedam, non eius desiderio teneri. Publica, inquis, re non fruor, cum ad vnum delata omnia sint. an ideo priuatam quoque contemnas? Quae, si te non mouent, aut si tibi vita ista videtur esse commodior, suscipe curam salutis tuae, nec eadem, quae commoda, simul tuta esse existima. Moralis tota, iisdem coss.

EXPLANA-

EXPLANATIO.

Quo te animo censerem esse oportere] Cum hortaretur Marcellum, ut omnino suam voluntatem cum amicorum sententia coniungeret, ac vivere in patria mallet, quod Caesar concessurus videbatur, quam in externis atque alienis locis. non enim de Caesaris clementia, quae et in epist. 7. declaratur, sed de Marcelli pertinacia dubitabat.

Quaecumque est] Epist. 7. Cuiusmodi res esset.

Cum idem illud auribus percipias] Non est tuum, minus laborare, cum audias, quam cum videas.

Quod etiam maius videri solet] Contra in epist. 13. Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunae dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium exstinximus. Et ad Torquatum lib. 6. epist. 1. Oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseris cogitationem sinunt. Est enim hoc in oratoris artificio, ut easdem res temporis causa modo oppugnet, modo defendat. Propterea in illis ad Nigridium ac Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur.

Tibi ipsi] Tibi praecipue ob nobilitatem et dignitatem tuam. epist. 8.

Tempori cedere] Lib. 12. ad Attic. epist. 1. Epistolam ad Caesarem mitti, video tibi placere. quid quaeris? mihi quoque hoc idem

maxime placuit, et eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimi cuius; sed ita optimi, ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ praecipiant.

Vt nunc quidem est] Praesentem rei statum hoc loquendi genere veteres ostendebant: quasi dicerent, quid futurum sit, affirmare non licet: sed, ut nunc quidem est, res ita se habet. lib. 12. ad Attic. epist. 29. Quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum; et, ut nunc est, mansurae videntur. lib. 4. Acad. c. 4. Vt quidem nunc se causa habet. Valet idem, quo modo nunc est: quod ad Atticum scripsit lib. 13. epist. 2.

Ne suorum quidem] Per quos vicit, quo aequius ferre debemus, si minus nostro utatur. Hanc sententiam plane comprobant ea, quae sequuntur.

Ceterorum hominum] Scipionem in primis, Pompeii socerum, Domitium Ahenobarbum, L. Lentulum notat. lib. 6. epist. 21. Domitium et Lentulum nominat. eosdem significat epist. 6. eiusdem libri.

Minime prudentium] Cum tu bellum aliter gerendum censes: ut in epist. 7.

Magis communem] Magis usum fuisse consiliis nostris.

Incertis rebus] Cum incerta victoria esset: cum bellum gereretur.

Sapientissimum consilium] Cum horum malorum initia et videres, et cauere velles.

Fratre tuo] Qui consul fuit cum Lentulo, anno primo ciuiliis belli, biennio post Marcum consulem. placet enim hoc dici de germano potius, quam de patruuele fratre:

fratre: quia verisimilius est, germanum, quam patruelem, consulatum gessisse ex Marci auctoritate: et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 1. 2. 4. 5. Lentulum consulem vt inimicum suum nominans, de Marcello collega nihil vniquam tale dicit: contra, iniquum fuisse Caesari fratrem Marci patruelem C. Marcellum, et ab eo traditas Pompeio duas legiones, Caesari ereptas, docet Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 55. et Dio lib. 40.

Ex auctoritate tua] Opinor C. Marcellum, de quo hic sermo est, non admodum in consulatu acerbum Caesari fuisse. nam hic certe, studiosos retinendae pacis duos fratres Marcellos fuisse, ostenditur: quorum consilia Pompeius neglexit.

Vobis auctoribus] Tutam pacem exitioso bello praeferentibus.

Desideraturum] Neglexisset potius, vt antea: id enim verisimilius.

Saepe] Quater, contententibus Sulla et Sulpicio, Cinna et Octauio, Sulla rursus et Mario, Caesare et Pompeio. Phil. 8. c. 2.

Ipsa victoria] Epist. 4. *Victoria civilibus bellis semper est insolens.* Et in orat. pro Marcello c. 6. *Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem?*

Eorum arbitrio, per quos vicit] Eadem sententia lib. 12. epist. 18. *Iis mos gerendus, quibus adiutoribus sit partu victoria.*

Etiā inuito] Caesarem culpa liberat, si quid agat, quod bonis ciuibus non probetur. vide lib. 9. epist. 17.

Ille] Pompeianorum: quorum crudelitatem semper extimuit. infra epist. 14. *Si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram; tamen intellegebam, et iratorum hominum, et cupidorum, et insolentium, quam crudelis esset futura victoria.* confirmat idem lib. 5. epist. 21. et lib. 8. epist. 17. et lib. 9. epist. 6. et lib. 11. ad Attic. epist. 6.

Opes] Dixi iam, opum nomine, quidquid valemus, totum significari.

De republica] Quam crudelis Pompeianorum victoria quietam ac tranquillam esse non pateretur.

Qui finis istius consilii est] Epist. 7. *Habet ista ratio quendam modum.*

Vt in tali re] Quae laudari fortuna potest, libertate amissa? sed, vt in tali re, fortuna etiam laudatur; quae simpliciter, hoc statuerum, laudari non potest. Corrigit sententiam hic loquendi modus: vt lib. 15. epist. 3. *Mihi, vt in huiusmodi re, tantoque bello, maximae curae est, vt, quae copiis et opibus tenere vix possimus, ea mansuetudine et continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus.* Simile illud in Bruto c. 7. *Clisthenem multum, vt temporibus illis, valuisse dicendo.* Et in Catone c. 4. *Multae etiam, vt in homine Romano, litterae.*

Laudatur] Optatur, non laudatur fortuna: sed hic Cicero vulgarem loquendi morem secutus est.

Necessario] Non sponte: nam boni ciues bellum civile suscipiunt inuiti. Sic epist. 7. *Ostendisti, sapientem et bonum ciuem initia belli civilis inuitum suscipere, extrema libenter non persequi.* Cur autem necessaria

necessario? quia, quibus in castris Pompeius, consules, omnesque fere magistratus essent, in iisdem esse respublica videretur.

Extrema persequi nolueris] Quia se Mitylenas contulit, multis in Africam ad Iubam regem, belli renouandi spe, proficiscentibus.

Honesto otio] Tacite significat, non posse Marcellum eandem sibi fortunam diu praestare; sed, si ideo abest, quia honesto illo otio delectetur, valde timendum, ne casus aliquis eius consilia perturbet.

Statum] Quod in eodem statu permaneris, nullam tibi fortuna varietatem ac mutationem attulerit.

Famam dignitatis] Cum quiete et libere, honesto otio, viueres; quo tuae dignitatis fama conseruabatur. nam et qui profecti in Africam sunt, statum suum non tenere, vel in acie interfecti, vel incommoda militariasque perpassi: et eorum, qui se victori crediderunt, dignitas est imminuta.

Nunc vero] Cum iam satis a te factum sit et boni ciuis officio et dignitati tuae.

Dulcior parua] Epist. 8. *Sin qualemcumque locum, quae est domesticum sede incundior?*

Deformior] Amisissis ornamentis suis.

Multis claris viris] Consularibus septem, Pompeio, Bibulo, P. et L. Lentulis, Ap. Pulchro, Domitio Ahenobarbo, Scipione.

Non isse supplicem victori] Vereor, ne quis hunc locum ex ingenio mutauerit. nam et vsitatus

erat, *isse supplicem ad victorem*, quemadmodum epist. 4. *ad Caesarem supplex accederet*; et in meis omnibus antiquis libris *non isse*, sed *esse*, legitur. in vno tantum, *fuisse*, scriptum video. ac mihi quidem vel *esse*, vel *fuisse*, magis placet, quam *isse*.

Aspernari eiusdem liberalitatem] Ex hoc loco fieri coniectura potest de reditu Marcelli iam impetrato. ego tamen, non confectam rem, sed optimam Caesaris voluntatem, et propensam ad lenitatem naturam significari puto. magis enim, ne Marcellus beneficium Caesaris recusaret, atque omnino redire nolleret, quam ne Caesar se difficilem ad agnoscendum praeberet, verebatur. quod etiam locus ille confirmat in epist. 7. *Intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares.*

Carere patria] Non omni patria, sed hac, ob amissam libertatem miserrima.

Consulere temporibus] Ea facere, quae temporum ratio, quae incolumitas, et vita, et fortunae tuae postulant.

Incolunitati] Latius patet, quam vitae nomen. nam incolunitate status rerum vniuersus indicatur. Subiunxit autem, *et vitae, et fortunae*, ut, quae vnicuique nomine comprehenderat, duobus exprimeret: quo magis, re ante oculos proposita, Marcellus moueretur.

EPISTOLAE X.

ARGVMENTVM.

Desiderari aliquot ad Marcellum epistolas, vel unam certe, quae reditum impetratum significet, facile possum suspicari. gratulatum enim Marcello Ciceronem, quod ei Caesar ignouisset, atque ostendisse, quemadmodum acta res esset, indicat ipsius Marcelli quae proxime sequitur, epistola. Hic hortatur, ut reditum maturet; cum id ad rem eius familiarem valde pertineat. Caesare IV. consule sine collega.

EXPLANATIO.

Nihil noui] Praeter id, quod scripserat in superioribus litteris, quae non exstant; in quibus Marcello reditum gratulatus erat: ut ipsius Marcelli sequentes litterae demonstrant.

Theophilus] Marcelli libertus, qui et ante ad eum litteras attulerat. epist. 9. ex quo patet, has litteras aliquot post illas mensibus datas esse.

Tarda decessio] Ut qui non admodum libenter in hanc rempublicam venias.

Nisi oculorum] Tale illud in epistola superiore: non est porro tutum, uno sensu solum oculorum moueri.

Rei familiaris] Quae, Marcello absente, non diligenter ab eius procuratoribus administrabatur: vel quod timendum esset, ne in eam praedonum impetus fieret: quod scripsit epist. 7.

In omnes partes] Ad omnia. ut lib. II. ad Attic. epist. 6. *Brundisii iacere, in omnes partes est molestum.* Et in epistola Vatinius, lib. 5. 10. *Me tibi in omnes partes defendendum putes.* Contrarium illud lib. 13. ad Attic. epist. 10. *Hoc nullam ad partem valet scilicet.*

Reliqua] Rationes, quae te ad celerem reditum hortentur.

Quod ad tempus] Non quousque, sed quo plane tempore. sic lib. 9. epist. 5. *ad nonas, pro nonis.*

EPISTOLAE XI.

ARGVMENTVM.

De suo reditu a Caesare impetrato Marcellus e Ciceronis litteris cognouerat. nunc se commotum Ciceronis auctoritate, ad reditum magnopere cohortantis, exsulandi consilium abiicisse demonstrat: quando tamen se daturus in viam sit, non significat. Videtur haec epistola ante superiorem fuisse collocanda. in hac enim scribit Marcellus, commotum se Ciceronis litteris in patriam esse rediturum: in illa Cicero, certiores se de hoc Marcelli consilio iam esse factum, ostendit.

EXPLANATIO.

EXPLANATIO.

Plurimum valuisse apud me] Quantum ex hac epistola licet conicere, laudatam in libro de clar. orat. c. 71. Marcelli eloquentiam paullo plus, quam veritas concederet, existimo. nam cum ei verborum elegantiam, et copiam, et splendorem vocis, dignitatem motus Cicero tribuisset; adiunxit, nullam oratoris in eo virtutem desiderari: atque etiam sibi similem esse, ostendit Bruti testimonio, quem loquentem inducit. *Plurimum*, lego cum omnibus antiquis libris. alii *plurimam*: et cum inscriptione coniungunt: ut sit, *salutem plurimam*. ad sententiam vtro modo legatur, nihil interest. ego veteres libros libenter sequor.

Vt vterer vestro consilio] Vt in patriam, suadentibus vobis, redeundum putarem.

Res quemadmodum sit acta] Cum a Caesare de reditu meo est

impetratum. Hoc ex epist. 4. c. gnosceitur.

Ab optimo fit animo] Face gratulationem, et Cicero dixit lib. 4. ad Attic. epist. 2.

Propinquorum] Quos Marce l non valde cupidos fuisse, indic illud epist. 8. *Si modo erunt tui*

Necessariorum] Distinguit ab amicis et propinquis necessarios, qui sunt arctiore quadam benevolentia deuincti.

Reliqua] Praeter vnum te, sine quo neque in aduersa neque in secunda fortuna mihi viuendum statuo.

Virorum et amicorum] Virorum virtute, amicorum benevolentia carere non possum.

In hoc] Quod in summa amicorum, propinquorum, necessariorum paucitate, vnum te mei cupidi mum cognoui.

EPISTOLAE XII.

ARGUMENTVM.

Marcellum a Magio interfectum, suaque erga mortuum officii significat.

EXPLANATIO.

Quoniam casus et natura in nobis ERN. in bonis dominatur] Cum non ignoretis, etiam bonis, non modo improbis, casu et natura vitam adimi. Hoc Sulpicius, Marcelli nece commotus, non sine quadam indignatione dixit. nam, re vera non in bonis tantum, sed in omnibus hominibus casus et natura dominatur. Locus postulat, ut *casus et natura* distinguantur: quod ita commode fiet, si mortis

genera, quando hic de Marcell agitur morte, persequamur. Mortis causas in duo genera diuid, aut enim intus oriuntur, aut extra: intus, vel natura, vel fato moriuntur, quibus in senectut animam e corpore quasi sua man natura molliter educit: quod accedit, cum vitalis calor paulatim estinguitur. Fato, qui morbo a quo, ante illam diem, quo p
T
ipsa

ipsam naturam peruenire licuisset, vitam amittunt. non enim Peripateticis libenter assentior, qui naturam et fatum idem esse crediderunt: quos Alexander secutus in libro de Fato, nihil inter naturam et fatum, praeter nomen, interesse, accurata disputatione probare conatur. idem sensit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. c. 13. idem Gellius lib. 13. c. 1. qui cum recitasset illud Demosthenis ex oratione περὶ τῆς τεφάνης. Ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομιζῶν μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἰμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει· ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τῆς μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δελεῦσθαι, ἀποδυνήσκειν ἐβλήσει· subiunxit: *Quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, id multo ante Demosthenes τὴν πεπεωμένην, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. αὐτόματος enim θάνατος, quasi naturalis et fatalis, nulla extrinsecus vi coactus, venit.* Haec Gellius: quam recte, nondum statuo. mihi enim neque Demosthenis verba, neque Ciceronis cogere videntur, fatum et naturam idem esse. quin, si modus loquendi, τὸν τῆς εἰμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον, attendatur; articuli repetitio, diuersas potius esse res, quam vnā et eandem, significat: idque ipse Cicero, nisi fallor, ostendit, eum ait orat. 1. in Antonium c. 4. *Multa impendere videbantur praeter naturam, praeterque fatum.* Quod si quis in dubium reuocat: grauem testem citabo, principem Latinorum poetarum, Virgilium: qui cum de Didone, ipsa sibi mortem consciscente, versum illum protulit: (lib. 4. Aen. 696.)

Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat:

fatum a natura manifeste disiungit. Cuius testimonio subscribere videtur Tacitus: apud quem lib. 2. Annal. c. 71. Germanicus, eripi sibi vitam veneno existimans, haec loquitur: *Si fato concederem, iustus mihi dolor etiam aduersus deos esset; quod me parentibus, liberis, patriae, intra iuuentam, praematurato exitu, raperent: nunc, scelere Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo; referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumuentus, miserrimam vitam pessima morte finierim.* Fatum appellat eam mortem, quae praematurato quidem exitu, nulla tamen humana vi, contingit. praematurus autem exitus a natura certe non est, sed ante illum terminum, quem ipsa natura praescripsit, robustis longiorem, breuem imbecillis. nam, si quando robustus ante imbecillum decessit; non ad naturam refero, sed ad fatum, id est, ad eas causas, vnde oriuntur ii morbi, qui naturam vincunt, mortemque ante finem a natura praestitutum arcessunt. quod euenire sibi Germanicus negat. Nec vero Chrysippi sententiam probo, qui pertinere ad omnia fatum dicebat. quod si ita esset: fato omnes, quacumque aetate, quocumque mortis genere, perirent. sed hunc firmissimis argumentis refellit Alexander: quem sequor in hac quidem parte: in altera vero, quod fatum et naturam idem esse putat, cur ei non assentiar, illa superiora demonstrant. Restat mortis alterum genus, quod in duo subiecta genera diuisimus, vim et casum. Vis voluntatem habet, casus non habet. voluntas siue nostra sit,

sit, siue aliena, vim constituit: nostra, cum aliquis ferro, veneno, alia-
 ve re ipse sibi mortem consciscit: aliena, cum ab inimico, vel etiam a feris opprimitur: quarum etsi voluntas ferarum propria non sit; appetitus tamen ille speciem voluntatis habet. Casus voluntatem excludit. si quis enim, vel inopinata ruina, vel naufragio, vel ictu teli temere missi, a vita discedit, est illa quidem inimica naturae vis; sed quia voluntas abest, ad casum refero, non ad vim: si modo conceditur, ut haec subtilius examinentur. sin paullo communius, et, ut ita dicam, rudiore Minerva disputamus; utrumque, siue adsit, siue absit voluntas, ad casum referri potest: quem fortunam quoque nominemus: non quod ignoremus ea, quae scripsit Aristoteles Physic. lib. 2. cum casum et fortunam distingueret: sed ubi mortis genera discernuntur, concedatur alterum ab altero non differre. itaque cum necem Didonis ad fortunam retulisset Virgilius illo versu: (653.)

*Vixi, et, quem dederat eursum
 fortuna, peregi:*

subiunxit Seruius: *Humana vita tribus continetur, natura, fato, fortuna, id est, casu, qui ad omnia pertinet, quae extrinsecus sunt.* Quibus verbis primum illud ostendit, fortunam et casum idem esse: deinde, quidquid extrinsecus accidat, vel cum voluntate, vel sine voluntate, ad casum pertinere: quod Alexandro quoque placuit: qui fortunam et casum ita simul nominat, ut alterum ab altero non distinguat. Ex quibus efficitur, ut mortis tria tantum sint genera, na-

tura, fato, casu siue fortuna: si casum a voluntate disiungimus, quattuor, natura, fato, casu, vi. Reliquum est, ut ostendamus, quam sententiam probauerit Sulpicius, cum in bonis casum et naturam dominari dixit. Primum illud pono: dissentire illum a Chrysippo, qui ad fatum omnia retulit: dissentire etiam a Cicerone et Virgilio, qui tria mortis genera fecerunt. deinde illud subiungo: cum Peripateticis, naturam et fatum idem esse, placuerit; satisque constet, non omnes homines natura et fato, id est, ut idem utrumque esse Peripateticis hic largiamur, naturali morte non omnes interire; necesse videri, iisdem placuisse, alteram esse, praeter naturam et fatum, interitus humani causam. ea vero nihil aliud, quam casus, id est, externa vis, siue humana, cum voluntate, siue non humana, sine voluntate, videtur esse posse. Et Demosthenes, Cicero, Virgilius, Tacitus, aliquam causam mortis, praeter naturam, praeterque fatum, agnouere. Secutus igitur Peripateticos Sulpicius, (dederat enim operam philosophiae, ut epist. 3. et in Bruto c. 41.) duo tantum genera mortis fecit, casum, et naturam: siue dicas, fortunam et fatum: quoniam quidem nec differre fortunam a casu, auctoribus Virgilio, Seruo, Alexandro etiam, Peripateticorum interpretum principe, satis ostendimus: et inter naturam et fatum nihil interesse, praeter nomen, idem Alexander ex Aristotelis mente prodidit. itaque duobus nominibus causas mortis omnes, cum periisse Marcellum casu, non natura, significare vellet, Sulpicius comprehendit.

Vos certiores facere] Pendet ab eo, *visum est faciendum*: quam apte, alii iudicent. *visitatus enim erat, vos certiores ut facerem*: aut, *visum est vos certiores facere*. quod alii quoque viderunt.

Collegam] In consulatu.

Vt ab Athenis in Boeotiam irem, reliquamque iurisdictionem absoluerem] Prouincia Sulpicii, vocatur *Achaia* non modo epist. 4. huius libri, verum etiam lib. 13. epist. 26. 27. 28. sed mirari aliquis possit, cur lib. 6. epist. 6. Sulpicius praefesse Graeciae dicatur. Primum, quaestioni persoluendae gratia, illud pono: licet prouincia Sulpicii, in qua praeter Achaiam Peloponnesus tota cum adiacentibus insulis, praeterea Epirus Boeotiaque fuit, *Achaia* vocaretur, vere tamen ac proprie regionem illam *Achaia* dici solitam, quae tota extra Peloponnesum fuit, *bimaris* dicta, quod duo maria, Aegaeum et Ionium, nauigatione diuersa, fere coniungeret: de qua L. Mummius, euerfa Corintho, triumphauit. Haec modo *Achaia*, modo *Graecia* et *Hellas* vocabatur. Plinius lib. 4. c. 4. *angusta*, inquit, *ceruice Peloponnesum contingit Hellas*. *Corinthiacus hinc, illinc Saronius appellatur sinus*. Et paullo post: *Sinum Corinthiacum LXXXV. millia passuum in longitudinem vsque ad Isthmum transmittunt*. c. 5. *Achaiae nomen prouinciae ab Isthmo incipit*. Idem c. 7. *Ab Isthmi angustiis Hellas incipit, nostris Graecia appellata, in ea prima Attica, antiquitus Aele vocata, attingit Isthmum parte sui, etc.* Quibus ex locis, etiam ex Ptolemaei testimonio, constat, regionem illam, quae tenui ceruice Peloponnesum contingit, *Helladem*

vocari, et eandem *Graeciam*; in ea vero esse, et ab Isthmo incipere, tum *Achaia*, quae et *Graecia* et *Hellas* dicta sit, quia commune regionis nomen assumpsit, tum etiam *Atticam*, quae ipsa quoque eodem, quo *Achaia*, iure commune vel *Graeciae* vel *Helladis* nomen usurpare potuit: cum praesertim *Thessalia* quoque et *Graecia* et *Hellas* dicta sit, generali vocabulo, vt Plinius c. 7. prodidit. Duplex igitur *Achaia*, vetus illa *bimaris*, et haec recentior Sulpicii prouincia, veterem complexa: quam Cicero cum *Graeciam* appellauit, respexit ad *Graeciam* vniuersam, a Sulpicio administratam: quae, post captam Corinthum, in prouinciae formam, simul cum ipsa *Achaia*, redacta est: vt in *Achaia* Pausanias docet. *Achaia* vero idem Cicero Sulpicii prouinciam vocat; quia reliquae eius prouinciae partes, a nobiliori nomen acceperunt; et quia, occasione deuictae *Achaiae*, totus ille terrarum tractus, vt diximus, in prouinciae formam est redactus. Sic et *Cilicia*, a Cicerone administrata, prouinciae nomen dedit: licet *Asiaticas* aliquot dioeceses complecteretur. Quattuor hic dubitationes, non inutiles fortasse, subiungam. Prima est, vtrum *Athenae* ad Sulpicii iurisdictionem pertinerint, an suis legibus, vt aliae quaedam vrbes, vsae sint. Partem prouinciae dixerit fuisse, qui morantem in ea vrbe Sulpicium animaduernerit: quod epistolae duae, prima et quarta lib. 6. declarant. Mihi tamen vrbs omnino libera videtur; non modo quia Plinius, Strabo, Dio, et alii satis id constanter asseuerant; verum etiam, quia tutum in ea Romanis ex-
sulibus

fulibus domicilium fuit. de Torquato plane constat ex lib. 6. epist. 1. 3. 4. de Memmio ex lib. 13. epist. 1. iam Dolabella, cum Ciceronem, exorto ciuili bello, hortatur lib. 9. epist. 9. ut Athenas se conferat, argumento, nisi fallor, esse potest, prouinciae partem Athenas non esse. Nec tamen prouinciae finibus excedebat Sulpicius, cum Athenas iret: sed ad liberam urbem, positam in prouincia, nec tamen prouinciae partem, vel animi causa proficiscebatur, tum ut verbis adspectu, tum etiam ut philosophorum sermonibus et consuetudine fruereetur; vel quia conuentum Athenis agere, commodum esset. Secundo loco, venit in mentem ambigere de Thespiis. nam Plinius c. 7. ubi Athenas, ibidem ait, opidum liberum Thespias fuisse. At Cicero lib. 13. epist. 22. commendat Sulpicio Manlium, qui negotiabatur Thespiis. quo videtur ostendere, intra prouinciae terminos fuisse. Sit ita, verumtamen hoc non obstat, quin sui iuris opidum, quodque Graeci vocant *ἀστυ*, fuerit: ut in eo Sulpicium, tamquam illius prouinciae proconsulem, auctoritate quidem valuisse concedamus, iuris autem dicendi et imperandi potestatem habuisse nullam putemus. Occurrit tertia, non exigui sane momenti, dubitatio. Sulpicii prouincia Graecia fuit: is tamen in Asiam se profectum esse epist. 5. significat. quod mirum videri potest: nisi si vel Sulpicium Caesar, cum omnia suo moderaretur arbitratu, soluit legibus, ut iret, quocumque publici commodi ratio postulare: vel eius imperio partem Asiae extra ordinem attribuit, item ut Ciliciensi

prouinciae tres *διαίσεις* Asiaticas a senatu attributas videmus. quamquam id quidem vix crediderim, imminutam esse hoc tempore Asiaticam iurisdictionem, quae ad P. Seruilium, Caesaris collegam, pertinebat: ut ex lib. 13. epist. 67. constat. Postrema quaestio de Achaia. quae si, Caesare viuo, prouincia fuit: cur eam, interiectis fere centum annis, a Vespasiano in prouinciae formam vna cum Cilicia esse redactam, Suetonius in Vespasiano c. 8. ait? Achaiam in prouinciam retulit Mummius: ut ex Pausania et Strabone cognoscitur. libertatem ei Nero imperator dedit: ut scripsit Plinius lib. 4. c. 6. eandem in prouinciae formam Vespasianus redegit.

Supra Maleas] Veteres libri omnes, *Maïas*, non *Maleas*. quod omnino mendosum est, nec tamen contemnendum. quid enim obest, notam esse omnibus ac testatam antiquitatem? cum saepe ex ipso mendo, mutatione aliqua litterarum, elici veritatem constet. *Maleam* autem Virgilius, Liuius, omnes denique nominant: *Maleas* vero vnus, quod sciam, Plinius iunior in epist. ad Traianum lib. 10. 26. Graecis verbis, *ὑπὲρ Μαλέας*, quod si legatur hic *supra Maleas*, interpretaremur, superato Malearum promontorio, Laconicae prouinciae, nauigantibus valde periculoso.

In Italiam versus] Antiquae: ut Coelius quoque lib. 8. epist. 15. *Ad Alpes versus*. et Hirtius de bell. Afric. c. 8. *Ad Cercinam insulam versus*. Et Liuius lib. 1. c. 18. *Ad meridiem versus*.

T 3

Postri-

Postridie eius diei] VIII. Kal. Iun. Sic *postridie eius absolutionis* dixit Coelius lib. 8. epist. 2. *postridie eius diei*, Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 23.

Hora decima noctis] Ne quis miretur, cum hic dies VIII. Kal. Iun. significetur, decimam noctis horam significari. nam, etsi mensis Maii extremi noctes non modo ad decem, sed nec ad nouem horas in Italia producuntur, tamen apud veteres in more fuit, vt aestiuæ noctes pariter et hibernæ, itemque dies semper in duodenas horas distribuere, hoc modo, vt aestiuarum noctium contractiores horæ essent, dierum vero longiores; hibernarum noctium longiores, dierum breuiores. ita fit, vt extremo mense Maio, cum longissimi dies, breuissimæ autem essent noctes, in duodenas tamen horas tam nox quam dies diuideretur, sed nox in breuiores, dies autem in longiores. qua ratione hora noctis decima, erit, vt hodie noctem diuidimus, hora noctis septima cum octauæ fortasse dimidio. Vide, quæ diximus lib. 7. epist. 30.

Cilone] Cognomen est non modo Magiorum, sed etiam Flaminiorum, vt veteres nummi declarant. *Cilones* dicti, vt ait Festus, ab eminentiore fronte; vel, vt Carisius, a capite oblongo et compresso.

Pugione] Breuior est quam gladius, auctore Nonio. Suetonius in Caligula c. 49. *In secretis eius reperi sunt duo libelli, diuerso titulo: alteri GLADIVS, alteri PVGIO index erat.*

Secundum aurem] Post aurem, exemplis abundamus.

Se ipsum interfecisse] Quod eum commissi facinoris poeniteret.

causam necis Cicero ignorat lib. 13. ad Attic. epist. 10. Valerius hanc ponit lib. 9. c. 11. quod, cum esset Marcello Magius vetere coniunctus amicitia, eique in Pompeiana militia comes fuisset, indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo præferri.

Medicos cogere] In aliquot antiquis libris non est, *cogere*: ego, cum in quinque esse videam, approbante sententia, retinendum putavi.

Puer] Seruus. sic enim loquebantur, vt exempla declarant.

Acidini] Manliorum cognomen fuit *Acidinus*. constat ex lib. 2. de Orat. c. 64. ex Velleio lib. 2. c. 8. ex lapidibus Capitolinis, in quibus consul est L. *Manlius Acidinus* anno DLXXIV.

Cum codicillis] *Codicilli*, tabellæ ceratæ erant, in quibus stilo pungebatur, a *codice*, id est, arboris libro, nominati. *pugillaria* quoque dicebantur, a pungendo, quod stilus in iis pungendo scriberet. codicillorum vsum ante Troiana bella fuisse, Homerus ostendit il. 2. v. 169.

Γράψας ἐν πίνακι πικτῶ θυμοφθόρα πολλά.

quæ versu de codicillis locutum esse, ostendit Plinius his verbis lib. 13. c. 13. *Cur et Homerus Bellerophon codicillos datos, non epistolas, prodidit?* et lib. 33. c. 1. Modo autem ipsi codicilli mittebantur, vt hæc ostendit epistola, et ad Lepidam lib. 6. epist. 18. *Statim quæsiui e Balbo per codicillos.* Et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 11. *Epistolam hanc conuicio efflagitarunt codicilli tui.* Modo non mittebantur, sed

ex

ex iis litterae descriptae: vnde in lib. 9. epist. ult. *Cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Codicillorum vsum, post inventam etiam chartam, festinatio retinuit, cum in omnibus locis, vt in conuiuio, in itinere, in naui, in senatu, charta, atramentum, calamus non semper in promptu essent, moram autem res non ferret.

Deterrimo ERN. Taeterrimo] Taeter et clarus opponuntur.

Pepercerant] Caesar enim ei redditum in patriam concesserat.

Dominus eorum] Seruis enim capitale erat, qui dominum non defendissent, vt ex Vlpiani verbis, Silanianum senatus consultum interpretantibus, L. 1. D. de SC. Silan. cognoscitur. Confirmat hoc historia. nam Tacitus lib. 14. Annal. c. 42. *Praefectum urbis, inquit, Pedanium Secundum seruis ipsius interfecit, seu negata libertate, cui premium pepigerat, siue amore exoleti insensus, et dominum aemulum non tolerans* ceterum, cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitauerat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebatur, vsque ad seditionem ventum est. Idem Tacitus paullo post c. 43. eam poenam in seruos vetere senatus consulto decretam, ostendit his verbis: *Consulari viro domi suae interfecto per insidias seruiles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamuis nondum concesso senatus consulto, quod supplicium toti familiae minitabatur.*

Lecticariis] Leticarii fuere serui, vel qui lecticam gestabant: vnde *εστοφός* Anicianus lib. 2. ad Q. Fr. epist. 10. vel qui fabricaren-

tur, vt pro Amerino c. 46. *Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios.* Imperatorum tamen aetate, lecticarii non serui, sed liberti fuere: quod hic lapis Romae trans Tiberim, ad D. Caeciliae, declarat. DIS. M. TI. CLAUDIO. AVG. LIB. TIGRANO. EX. CORPORE. LECTICARIO. RVM. CAESARIS. VIX. ANNIS. LXXXV. M. LICINIVS. ATIMETVS. ET. SEXTIA. FELIX. BENEMERENTI. POSVERUNT. Hunc vt fabrum potius, quam qui lecticas ferret, fuisse putem, facit illud, EX CORPORE; quod videtur ad artifices pertinere. Vnde alibi:

CORPVS. LENVNCVLARIO-
RVM. AVXILIARIO. RVM.
OSTIENSIVM.

CORPVS. CVSTODIARIO. RVM.
CORPVS. DENDROPHORO-
RVM.

CORPVS. TIGNVARIO. RVM.

Intra urbem] Quod Solonis lege vetitum Romani postea transtulerunt in duodecim tabulas. Cicero lib. 2. de Leg. c. 23. *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve vrito.* Pausanias quoque sepulcra multa extra urbem posita, vrbis nullum commemorat.

In quo vellemus gymnasio] Cum tria essent, vt ait Suidas, *Λυκειον, Κυνεσαργεες, Ἀκαδημια.*

Gymnasio Academiae] In quo docuerat Plato. nomen accepit, Laertio teste, ab Academo heroe, vel, si Hesychio credimus, a lauacro prope posito. *Gymnasia* vero dicta, quod in iis luctarentur nudi: quam exercitationem *palaestram* vocarunt. multis enim annis inuenta esse gymnasia, ante quam philo-

philosophi in iis garrere coeperunt, auctor est Cicero lib. 2. de Orat. c. 5. postea placuerunt ea loca philosophis, in quibus de quo vellent scientiae genere disputarent. Sed Academiam Plato, Lyceum nobilitauit Aristoteles. Vitruuius lib. 5. c. 11. exhedras etiam constitutas ait cum sedibus, vbi philosophi et rhetores disputare possent.

Collegio] Collegii causa: quia consules vna fuerant.

Propinquitate] Propinquitas modo generale nomen est, id est, cognationis et affinitatis commune: modo cognationem proprie si-

gnificat. Commune nomen est, vt lib. de Amicitia c. 5. *Ciues potiores quam peregrini; et propinqui, quam alieni.* Lib. 3. de Fin. c. 17. *Velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.* Pro Quintio c. 6. Si pietate propinquitas colitur: qui affinem prodit, impius fit, necesse est. Cognationem designat, vt lib. 2. epist. 13. *Liberis, propinquis, affinibus.* Et in orat. pro Plancio c. 11. *Cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus.* Et Caesar lib. 2. de bell. Gall. c. 4. *Propinquitatibus affinitatibusque coniuncti.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Primum causas exponit, cur antea non scripserit: secundo loco finem ei pollicetur exsulii sui, ducta coniectura e Caesaris animo, ex eorum sermone et sensu, qui apud ipsum plurimum valent, ex vulgi voluntate, ex ipsa republica, vehementer ad eius salutem propensa: tum ad eam officii partem, quam vetus amicitia mutuaeque beneuolentiae iura postulant, conuersus, voluntatem suam duplici promisso ostendit, in reditu primum ei conficiendo, deinde in re sua familiari communicanda. Postremo, vt secundam fortunam speret, aduersam aequo animo ferat, et hortatur et obsecrat. Tota moralis epistola, scripta C. Caesare III. et M. Aemilio Lepido cons. anno DCCVII. De Nigidio ipso, quae legendo animaduertimus, haec sunt. Scripsit libros de Animalibus, vt ostendit Macrobius lib. 2. Saturn. c. 12. et Plinius his lib. 29. c. 4. et 6. eius vitur testimonio: librum de Extis, vt in Gellio lib. 16. c. 6. legimus: commentarios Grammaticos, vt idem Gellius lib. 19. c. 14. et Nonius prodidere. interpretatus est comoedias Terentii, teste Donato. videtur etiam scripsisse de Deis, quantum ex Arnobio licet conicere: qui eius testimonio in mentione Matris deum, Neptuni, Apollinis, et Iouis vitur lib. 3. Haec de scriptis: de doctrina subiungam. Gellius Varronem et Nigidium doctrinarum culmina lib. 19. c. 14. appellat; et idem lib. 13. c. 24. in disciplinis doctrinarum omnium praecellentem nominat; et lib. 4. c. 9. hominem iuxta M. Varronem doctissimum: Macrobius autem maximum rerum naturalium indagatorem lib. 2. c. 12. idem lib. 6. c. 8. hominem omnium bonarum artium disciplinis egregium. Seruius quoque Honoratus haec de eo tradidit: Nigidius Figu-

lus

lus solus post Varronem: licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus litteris: nam vterque vtrumque scripserunt. *Nonius quoque*, Nigidius, *inquit*, studiis bonarum artium praeclarissimus. *Nemo tamen illum melioribus extulit laudibus, quam Cicero ipse, idem eius amicissimus. nam in proemio libri de Vniuersitate*, fuit, *inquit*, vir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer inuestigator, et diligens earum rerum, quae a natura inuolutae videntur. Denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina exstincta est quodammodo, cum aliquot saecula in Italia, Siciliaque viguisset; hunc exstitisse, qui illam renouaret. *Suetonius in Aug. c. 94. ait illum, cognita hora, qua natus erat Augustus*, affirmasse, dominum terrarum orbi natum.

EXPLANATIO.

Non modo certa res nulla ERN. *vlla*] Aliis nulla, mihi vlla placet. sequor enim et meos veteres nouem libros, et sententiam ipsam, atque etiam consuetudinem Latinae linguae. *Non modo certa res vlla*, dixit pro, *nedum certa res vlla*: vt ad Lentulum lib. 1. epist. 9. *Non modo praemiis, sed ne periculis quidem compulsus vllis, ad eorum causam me adiungerem.* Quo loco plura huius generis exempla collegimus. Tantum, inquit, abest, vt mihi certa res vlla, vt ne genus litterarum visitatum venerit in mentem.

Vnam partem] Genus litterarum familiare et iocosum, lib. 2. epist. 4.

Aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui] Eandem sententiam repetiuit lib. 6. epist. 10. et 13.

Pari fortuna] Vterque enim, Pompeii partes secutus, Caesarem offenderat. Atque hoc ipso quaedam videtur esse consolatio: leuat enim dolorem fortunae societas.

Casus meos sustentabam] Exciderat statu illo, in quo eum indu-

stria sua perpetuaeque in rempublicam merita collocarant: nunc sustentari se dicit aliorum opibus, id est, eorum auctoritate et gratia, quos, veteri sibi necessitudine coniunctos, plurimum ob victoriae societatem posse apud Caesarem intelligebat. hi porro erant potissimum, Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius. lib. 6. epist. 12. Eadem translatio est, *sustentare casus, et sustentare cadentem.*

Queri, quod ita viuerem] Eadem sententia lib. 6. epist. 3. *Ita viuere, vt non sit viuendum, miserimum est.* Et lib. 7. epist. 3. *Vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere.*

Privatim] Publica enim Cicero concidit calamitate.

Eis conficior curis] Quas significauit in eo, *queri, quod ita viuerem*, ob exitium reipublicae.

Vt ipsum] Non modo in aliis rebus, sed in hoc ipso, quod maneam in vita: in quo peccare tamen mihi videor. cur enim, cum occideret respublica, ipse viuam? Quaerit diuus Augustinus in libro,

sane non contemnendo, quem tamen pauci legunt, de Grammatica, cur, cum *ipsud* et *illud* in genere neutro dicimus, non item dicamus *ipsud*, sed *ipsum*. Quaestionem soluit hoc modo: *antiqui enim magis ipse dicebant in nominatiuo singulari, generis masculini, quam ipse. hanc antiquitatis rationem attendentes artis scriptores pronomen hoc ad formam nominis translulerunt: ut, quo modo in nomine, iustus, iusta, iustum, dicimus, et perfectus, perfecta, perfectum; sic et hoc pronunciaretur pronomen, ipse, ipsa, ipsum, non ipsud, quo modo istud et illud.*

Peccare me existimem] Lib. 16. epist. 1. *Peccasse mihi videor, qui a te discesserim.*

Mors] Perierant Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, alii praeterea multi, Ciceronis familiarissimi.

Fuga] Fugerant, post Africanum bellum, in Hispaniam ad Pompeii liberos multi. Potest et de M. Marcello accipi, qui se, victo in Pharsalia Pompeio, Mitylenas contulerat: atque etiam de ipso Nigidio, deque aliis, qui desperata victoria exulare maluerant, quam belli civilis extrema persequi: ad quos exitant in his libris consolatoriae Ciceronis epistolae.

Amicis] Licet non familiarissimis.

Quondam] Ipso consule, cum patetacta et oppressa Catilinae coniuratione est.

Te socio] Tribus causis Nigidium diligit, ob studium in rempublicam, ob doctrinam, ob eius in se merita, quae memorat in epistolae clausula: idque Plutarchus in Ciceronis vita comprobatur his

verbis: *Ὁμοίως Πόπλιος Νιγιδίου, ὃ τὰ πλείστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐκρήτο πράξεις. Idemque in opusculo, Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, sic ait: Κικέρων δὲ αὐτὸς ὁμολογεῖ, τὰ κάλλιστα, καὶ μέγιστα τῶν συμβουλευμάτων, οἷς ὁρῶς ἐνυπατεῶν τὴν πατρίδα διέσωσε, μετὰ Ποπλίου Νιγιδίου τῷ φιλοσόφῳ συνδεῖσθαι.*

Respublica] Quae ciues omnes, sui studiosos, beneuolentia coniungit, licet non omnes familiaritate.

Naufragiis] Fortunarum. subiunxit enim, *eorum fortunas diffipari.* sic ad Lentulum lib. 1. epist. 9. *rei familiaris naufragia.* pro Rabirio perd. c. 9. *naufragium fortunarum.*

Quo nihil est acerbius] Sic ad Torquatum lib. 6. epist. 1. *Oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri audiunt, inueneri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt.* Et ad eundem epist. 4. *In malis omnibus acerbius est videre, quam audire.*

Eorum fortunas dissipari] *Naufragia*, dixit proxime.

Illud incendium] Catilinae coniurationem: qua, tamquam aliquo incendio, nisi nos opem tulissemus, respublica deflagrasset.

Vis] Cum, in summa Caesaris humanitate, frui tamen vetere gratia, auctoritate, gloria non liceat. Notanda Ciceronis prudentia, qui, cum euersam rempublicam queratur, Caesarem culpa liberat. quo etiam utitur artificio epist. 4. *Nec id, inquit, victoris vitio, quo nihil moderatius, sed ipsius victoriae, quae civilibus bellis semper est insolens.* Et epist. 9. *Multa victoriarum eorum arbitrio, per quos vicis, et-*

iam

iam inuito, facienda sunt. Et lib. 6. epist. 10. *iniuriam temporum*, non Caesaris appellat.

In rebus omnibus] Quas agere, cum florere gratia, auctoritate, gloria, consueveram.

Vt quidem videor] Ideo ceteris videor displicere, quia careo rebus iis omnibus, quibus, etc.

Sonitus] Nam et nocentibus opem interdum tulit eius eloquentia.

Quid sis forti et sapienti homine dignum] In laude latet admonitio.

In iis autem] In communibus: quod quidem consolationis genus quoddam est: nam propriae magis angunt. propria vero Nigidii miseria erat, carere patria suorumque conspectu: de quo dixit Cicero, in quibus es hoc tempore.

Fortasse semper fore] Vere vaticinatur. numquam enim postea libertatem respublica recuperavit.

Qui plurimum potest] Caesar, quem significavit iisdem verbis lib. 6. epist. 10. aliter autem epist. 7. huius libri, *penes quem est potestas*: et aliter quoque epist. 8. 9.

Non scribo hoc temere] Sic lib. 2. epist. 7.

Quibus est iratior] Propter bellum in Africa renouatum. lib. 6. epist. 13. *Africanæ causæ iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos.*

Respondere tristius] Veniam precantibus negare.

Possit necesse est] Non enim iacere perpetuo potest: et omnino vires aliquas recuperabit. lib. 6. epist. 10.

Qui me admodum diligunt] Idem scripsit ad Caecinam lib. 6. epist. 6. ad Balbum epist. 12. eiusdem libri, ad Ligarium epist. 14. ibid. ad Gallum lib. 7. epist. 24. ad Paetum lib. 9. epist. 20.

Meus pudor] Et hic superbiae culpam remouet a Caesare.

Insinuabo] Pro *insinuabor*: arte quadam aditum mihi aperiam ad intimam eius familiaritatem. Lib. 3. in Ver. c. 68. *Videtur, ut moneat Apronium? quibus rebus ac numeribus insinuet in familiaritatem Metelli?* quem locum esse depravatam nonnulli, fortasse hoc loquendi genere offensi, existimant. Lib. 1. de Orat. c. 20. *Quod ita nati essemus, ut et blandiri, et simpliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, et aduersarios minaciter terrere possemus.* Et Liuius lib. 40. c. 37. *Fraudis humanae insinuauerat suspicio animis.* Quae si quis omnia mendosa putat, Virgilium ita canentem audiat lib. 2. Aen. v. 228.

Tum vero tremefacta nouus per pectora cunctis

Insinuat paupor. —

Quo loco, *insinuat*, pro *insinuatur*, ait Seruius.

Pervenire posse] *Me* subauditur.

Tuis] Fortunis.

Vt te orem ERN. hortor et obsecrem] Nihil muto. sic enim in octo vetustissimis exemplaribus inveni. aliorum tamen lectionem non improbo: etsi eam in libris scriptis ipse quidem nondum inueni.

Accepisti] Cum eorum scripta legeres.

Tristissimo meo tempore] Cum eiectus a Clodio exularem.

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Victo in Pharsalia Pompeio, Cicero, desperata reipublicae caussa, in Italiam reuertit; veniaque a Caesare impetrata, non illa quidem pristinam dignitatem ac libertatem loquendi recuperavit, sed humanissime tamen ac liberalissime cum ab ipso Caesare, tum vero ab eius maxime amicis ac familiaribus tractatus est. eo tempore, dimissa Terentia, Publiliam virginem uxorem duxit. utrumque igitur binis litteris gratulatus erat Plancius, de dignitate recuperata, deque nouis nuptiis. iis litteris Cicero respondens, nullam sibi pristinae dignitatis relictam esse partem ostendit, eoque redactam esse rempublicam, ut vel seruitus impendeat, si Caesar in Africa Pompeianos vincat, vel caedes, si vincatur. De nuptiis autem, quod absente se rem domesticam Terentia male curasset, sibi a suis insidiae tenderentur, ideo se cogitasse ait, ut nouae necessitudinis fidelitatem quasi praesidium haberet contra veterum perfidiam. Tertio loco, ut exsulantem consoletur, nihil ei praeter communem fortunam timendum confirmat: se quidem opera, consilio, studio, eius rei, famae, saluti praesto futurum. Postulat in extremo, ut de suo statu suisque consiliis diligentissime significet. Moralitatis epistola, scripta Caesare III. M. Lepido cons. cum in Africa bellum gereretur.

EXPLANATIO.

Obtinere] Cum in urbem post Pharsalicam pugnam reuertisset.

Euenire] De Publiliae matrimonio, quam sexagenarius virginem duxit, dimissa Terentia, quia rem domesticam, ipso absente, negligeret administrauerat; praeter alias causas, quae commemorantur a Plutarcho. Quintilianus lib. 6. c. 3. cum Cicero obiurgaretur, quod virginem iam senex duxisset, respondisse ait, *cras mulier erit*. Hoc et Q. Fufius Calenus ei, ut Dio lib. 46. narrat, in oratione sua obiecit. Sed et hanc, quia Tulliae morte lactari videretur, ab eo dimissam, iidem Plutarchus et Dio prodiderunt. Publiliae nomen fuisse, ex epistolis ad Attic. accepimus.

Regere] Ne tantis oppressi malis concidamus. apta translatio, ob ea quae sequuntur.

Adfunt] Quae nunc sustinemus.

Impendent] Quae vitari non videntur posse, sic ad Varronem lib. 9. epist. 1. *Et ea, quae premant, et ea, quae impendant.*

Bello] Africano: quod Scipio Pompeii focer, et M. Cato, freti Iuba regis auxiliis, renouauerant.

Caedem] Caedem a Pompeianis timet, a Caesare seruitutem. epist. 9. *An tu non videbas mecum simul, quam illa crudelis esset futura victoria?* lib. 8. epist. 17. *Quod si timor vestrae crudelitatis non esset, electi iam pridem hinc essemus.* lib. 9. epist. 6. *Si essent nostri positi, valde intemperantes fuissent.* Lib. 11.

Lib. II. ad Attic. epist. 6. et Caesar lib. I. de bell. ciu. c. 3.

Secundas etiam res nostras] Lib. 5. epist. 21. *Est res iam in eum locum adducta, ut quamquam multum inter sit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem.* lib. 9. epist. 6. *Extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus.*

De iure publico] Vter regnaret, Caesar an Pompeius.

Disceperetur armis] Sic locutus epist. 4.

Pacis spe] Ut agerem de reconciliatione Caesaris et Pompeii.

Cupidorum] Epist. I. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias.* lib. 9. epist. 6. *Vidi nostros amicos cupere bellum.* lib. 16. epist. II. *Incidi in ipsam flammam civilis discordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi, et, ut arbitror, possem; cupiditates certorum hominum impedimento mihi fuerunt omnino.* et lib. 8. ad Attic. epist. II. ad Pompeium: *Ego me in hac omni causa facile intelligeam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere.* Et in eadem in extremo: *ego conditionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt.*

Insolentium] Notam insolentiae Pompeianis inurit et in orat. pro Marcello c. 6. *Quoties, inquit, ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem?*

Crudelis] Dicitur est proxime de crudelitate Pompeianorum.

Amplissimorum] Hoc refertur ad honores et dignitatem: nam et consules, et consulares, et magistratus fere omnes Pompeii in castris fuere.

Malebant] Significat maxime L. Domitium, Scipionem, Metellum, L. Lentulum consulem, et alios pugnandi cupidos. lib. 9. epist. 6. Caesar lib. I. de bell. ciu. c. 4.

De eo, quod egerim] De Publi-
liae nuptiis.

Tam misero tempore] Cum, victis in Pharsalia Pompeii partibus, in urbem rediit.

Res domesticas] Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipso absente, malo tractasset, acrisque plurimum alieni contraxisset: quod ut dissolueret, virginem Publiam, admodum diuitem, in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis, uxorem sibi duxit.

Mea salus et meae fortunae] In fortunis uxorem accusat; in salute Quintum fratrem, fratrisque filium: qui vehementer illum, post Pharsalicam pugnam, apud Caesarem oppugnarunt, cum se dicerent auctore Marco aduersus illum arma cepisse. lib. II. ad Attic. epist. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21.

Scelus] Et hoc in fratrem potius fratrisque filium, quam in uxorem, confertur. Scelus Quinti fratris nominat etiam lib. II. ad Attic. epist. 21.

Nouarum] Ob novas nuptias.

Veterum] Notat uxorem, fratrem, fratris filium.

Praecipue timendum] In epist. sequenti, *ne quo periculo te proprio existimares esse.*

Alteros]

Alteros] Caesarianos, quos op-
pugnasti.

Studio quidem certe] Si opera

et consilio minus valebo, studio
quidem certe non deero.

EPISTOLAE XV.

A R G V M E N T V M.

*Hortatur, ut communem fortunam fortiter ferat: petit, ut vete-
rem benevolentiam conferuet: et, quod petit, idem de se ipso pollicetur.
Moralis. eodem anno.*

E X P L A N A T I O.

Communes miseras] Ex interitu
reipublicae.

Tamen etsi] Pro *tametsi*. illud
enim productum, hoc vero contra-
ctum. sic locutus lib. 5. ad Attic.
epist. 17. *Nos, tamen etsi hoc te
ex aliis audire malo, sic in pro-
vincia nos gerimus, quod ad absti-
nentiā attinet, ut nullus terun-
cius infumatur in quemquam.* Q.
Cicero de petitione consulatus c. 14.
Quae tamen etsi ita scripta sunt.
lib. 3. de Orat. c. 42. ex vetere
poeta:

*At Romanus homo, tamen etsi
res bene gesta est,
Corde suo trepidat.*

Catullus carm. 67. v. 135.

*Quae tamen etsi uno non est con-
tenta Catullo,*

*Rara verecundae furta fere-
mus herae.*

Terentius quoque in Andr. Act. 5.
Sc. 2. v. 23. *Tamen etsi hoc ve-
rum est.* et apud Vlpianum L. 5.
D. quod falso tutore auctore ge-
stum esse dicatur: *Interdum ta-
men etsi scientia noceat, tamen re-
stitutio facienda erit.* Carisius
quoque, diligens Latini sermonis
obseruator, *tamen etsi*, inquit,
nulla possit esse regula certior.

*Ne quo periculo te proprio exi-
stimares esse]* In proxima dixit,
*ne quid tibi praecipue timendum
putes.*

Omnes] Qui Pompeium secuti
sumus.

In communi] Communia vero
mala feruntur leuius, quam propria.

Eo animo simus inter nos] Sic
amemus inter nos, ut antea.

Praestare] Re ipsa efficere.